Zambaldi - Euripides de Rebus Divinus et Humanis

IL

R. LICEO E GINNASIO E. Q. VISCONTI

NELL'ANNO SCOLASTICO 1874-75

ROMA 1875

Zambaldi, 7

IL

R. LICEO E GINNASIO E. Q. VISCONTI

NELL'ANNO SCOLASTICO 1874-75

ROMA 1875

ROMA
TIPOGRAFIA G. B. PARAVIA E COMP.
Via Araceli, 53.

1876.

EURIPIDES DE REBUS DIVINIS ET HUMANIS QUID SENSERIT

PROOEMIUM.

Satis constat inter omnes, qui Graecorum memoriam paululum delibaverint, Persis superatis, Atheniensium res non tam procedentes quam evolantes opibus, industria omnique artium ac literarum laude floruisse. Praeclara enim civitas, quae virtute et constantia Graeciam a servitute, universum hominum genus a flaccida atque inerti barbaria vindicaverat, imperio celeriter propagato, aucta divitiis, ea felicitate omnes vitae partes excoluit, ut nullum unquam tempus ad gloriam clarius, ad humanitatem fructuosius exstitisse videatur.

At quorum oculi eo rerum splendore non ita perstringantur, quo minus altius pervadant, interiores quosdam animorum motus etiam tum implicatos deprehendant, quibus latius progredientibus, velut semina novarum rerum concepta alerentur, ea vero, quibus gentis illius vita esset conformata, radicitus concussa aliquando corruerent. Etenim si qui ingenio, sapientia vel quolibet artificio excellebant, rerum magnitudine gloriaeque condicione allecti, tanquam in omnis humanitatis domicilium eo undique conveniebant, in primis philosophi, quibus in acerrima discendique avida multitudine latior suae cuique doctrinae proferendae pateret campus. Iam antea fuerant qui opinionum erroribus soluti, nulla antiquitate vel auctoritate permoti, libero iudicio rerum naturam, ortus, interitus, mutationes essent perscrutati. Quod doctrinae studium primum apud Iones Asiam incolentes, deinde apud Graecos Italiae inferioris adoleverat. Solent enim coloni patria celerius humanitatis via grassari, quippe multa paulatim obliviscentes a maioribus tradita ipsorumque gentis propria, alia ex finitimis suscipientes, in ea rerum condicione versantur, qua animos ali augerique, industriam in omnes partes excitari necesse sit. Itaque nobiles illae floruerunt philosophorum familiae Ionica, Pythagorea, Eleatica, quarum sententiae atque decreta haud ita magno hominum numero ac velut conclusis coetibus colebantur, saepenumero umbra quadam offusa ut vulgus aut adversum aut impar effugerent. Verum, ubi commendatio in vulgus desit neque moribus atque institutis conformandis adhibeatur, omnis doctrina manca quodam modo ac solivaga senescit. Quod haud scio an Graecorum quoque philosophiae contigisset, nisi in libera civitate arcem ac perfugium nancta, praeclarorum hominum animis allectis, studia rerum inchoata absolvisset.

Quanquam ne Athenis quidem philosophis sine ullo periculo atque offensa versari licebat. Tametsi nulla gens tam vehementi novarum rerum studio flagrabat, tamen multa supererant, quare ab institutis ac moribus immutandis deterrerentur. Res Atheniensium, qui ex ipsa tellure nati ferebantur, tum ad deorum cultum tum ad rem publicam cursum tam aequabilem confecerant, ut omnes vitae partes interiore consensu tenerentur nec quidquam intermissum, admixtum, extrinsecus inlatum appareret. Itaque maxima pars hominum religiones et maiorum memoriam etiam tum colebat. Quorum voluntates confirmabantur legibus, moribus, festis, ludis, nec minus templis, signis, tabulis pictis, quibus dii, heroes, domestica facta eximia quadam pulcritudinis specie expressa consecrabantur. Quibus opinionibus imbuti non est mirandum quod omnia repudiarent, quae ab exemplis superioris temporis abhorrere viderentur et invadenti philosophiae tanquam infestae pravitati eodem studio obsisterent, quo olim pro aris et focis adversus barbaros dimicaverant. Quam ob rem confirmantur quidem ac lente propagantur quae homines ingenio praestantes de universa natura via ac ratione docebant, at nondum in vulgus prodeunt nec artificum vel poetarum opera attingunt.

Sed ineunte bello peloponnesiaco, quae vitae moribusque Atheniensium subiecta fuerant, velut suo cursu confecto ac diuturnitate temporis debilitata senescere, alia vero propagata vigere novarumque rerum condicionem portendere. Etenim res publica, cui primum reges praefuerant, paulatim ampliores in dies civium ordines per cunctos libertatis gradus complexa, mortuo Pericle, velut moderatione ac temperatione sublata, in plebeculam cessit. Praeterea ubi primum deorum res ad communem morum normam relata liberis mentibus iudicari coepta sunt, iam integra fides ac sincera pietas, quibus vetera opinionum commenta sustentabantur, laxari ac deficere visa sunt. Antea si quae in rebus divinis atque humanis vel obscuriora vel inter se repugnantia tradita fuerant, ea incuriosa animorum simplicitate sine ullo delectu sequentes, in rebus gerendis nativa quadam facultate regebantur et iuvenili ardore quasi divino afflatu instincti literarum artiumque miracula protulerant. Tum vero hominum mentes adultae et sui iuris factae nec divina auctoritate nec diuturno obsequio cohibebantur, quo minus omnia ad religionem, ad rem publicam, ad privatam vitam pertinentia infirmarent, refellerent, tollerent, donec ipsa patria potestas, qua nihil magis naturae consentaneum inveniri potest, in discrimen vocata ad hominum cuiusque virtutem relata fuit. Quem ad modum adolescentulis, quum primum de iis rebus, quae pueruli didicerunt, dubium aliquod animos invasit, non amplius quiescere licet, nisi multis modis res explanare ac sibi persuadere conati sint, ita Graecorum gentes simul ac ad rerum naturam studia converterunt, compluribus doctrinae rationibus divina atque humana aperire contenderunt. Sed variis meditationibus inter se dissentientium ac refutantium philosophorum praecipua instituta, quibus tum hominum societas nitebatur, adeo concussa sunt, ut nihil stabile, nihil firmum superfuerit et mox ratio illa sophistarum exstiterit, quae nihil ad res, omnia ad hominem referret. Qui quoniam quid de quaque re existimandum esset non in natura sed in opinione positum esse cen-

serent, quanta vis fieret eloquentiae et quam multum dicendi facultati tribueretur facile est ad intelligendum. Quae si quis aequa mente ac sine studio reputaverit, ei aetati admodum consentanea fuisse sibi persuadeat eoque spectasse, ut humanitas, proprio quodam unius populi colore exuto, velut vinculis perruptis, latius pateret et ad universitatem humani generis accommodaretur. Homines vero qui tum erant, quum intelligerent divina atque humana impia quadam pravitate misceri et ea, quae maiorum memoria sancta fuissent, refutari nec quidquam prisci temporis reliquum esse, quod iam agentes vel cogitantes sequerentur, erga recentes doctrinas adversos animos gerebant et patriae timentes labanti disciplinae aliquid remedii adhibere conabantur. Quod duobus modis factum est. Fuerunt enim qui omnem rerum doctrinam repudiantes nil immutandum censerent; alteri quum persuasum haberent fieri non posse ut prisca animorum simplicitas ullis artibus revocaretur, cuncta in praeceps ruere sentirent, in ipsa natura universas sentiendi et iudicandi notas quaesiverunt, quibus hominum societati novum ponerent fundamentum. Nemo non scit Aristophanem patrii moris acerrimum defensorem in scena exstitisse; alteras partes sequutus est Socrates quique ab eo instituti sapientiae laude floruerunt. Utrique frustra; ea enim est natura rerum humanarum, quae diu servari nequeant, nisi quae tempora ferant excipientes et in novos mores novaque instituta lente et quasi gradibus abeuntes, quae iis praecipua ac subiecta sint firma atque immota temporibus praestent. Quod omnes gentes in Anglorum rebus non sine desiderio admirantur. Quod si iis opinionum commentis teneantur, quae aut semper eadem servari aut dissolvi necesse sit, veterum novarumque rerum conciliatione remota, civitates contrariis studiis velut rerum fluctibus iactatae obruuntur.

Sed haec, ut iam diximus, usque ad bellum peloponnesiacum interius agitantur, atque ut multa sunt, quorum species diutius quam vis ac natura servari soleat, nec Phidiae signa nec Sophoclis tragoediae quenquam in suspicionem adducant multa iam tum immutata fuisse a tempore marathonio, quod Aristophanes absolutum virtutis exemplar Atheniensibus proposuit. Primus omnium Euripides, novorum temporum quasi praeco, quae philosophi umbratili opera meditati fuerant et cum exiguo auditorum numero communicaverant (1) in rerum lucem proferre ausus est; primus Athenienses admonuit nec rem publicam nec religiones, quas a maioribus accepissent, eas esse, in quibus sapientium animi acquiescerent et hominum societas diutius contineretur, sed multa esse immutanda, multa suscipienda, aliam rerum condicionem instituendam, quae non antiquitate sed iudicio, non opinione sed sapientia regeretur. Ea fuit Euripidis praecipua vis

(1) Id tum rerum subtilitate tum invidia vulgi factum esse ait Plutarchus *Nic.* 23, ubi narrat quam perturbatus fuerit Nicias improvisa lunae defectione, cuius caussas ignoraret: ὁ γὰρ πρῶτος σαφέστατον καὶ θαρραλεώτατον περὶ σελήνης καταυγασμῶν καὶ σκιᾶς λόγον εἰς γραφὴν καταθέμενος Ἀναξαγόρας οὔτ' αὐτὸς ἦν παλαιὸς οὔτε ὁ λόγος ἔνδοξος, ἀλλ' ἀπόρρητος ἔτι καὶ δι' ὀλίγων καὶ μετ' εὐλαβείας τινὸς ἢ πίστεως βαδίζων. οὐ γὰρ ἠνείχετο τοὺς φυσικοὺς καὶ μετεωρολέσχας τότε καλουμένους, ὡς εἰς αἰτίας ἀλόγους καὶ δυνάμεις ἀπορρήτους καὶ κατηναγκασμένα πάθη διατρίβοντας τὸ θεῖον, ἀλλὰ καὶ Πρωταγόρας ἔφυγε καὶ Ἀναξαγόραν εἰρχθέντα μόλις περιεποιήσατο Περικλῆς· καὶ Σωκράτης, οὐδὲν αὐτῷ τῶν γε τοιούτων προσῆκον, ὅμως ἀπώλετο διὰ φιλοσοφίαν.

et auctoritas, cuius ex tragoediis philosophia in vulgus pervagata ad mores conformandos animosque doctrina imbuendos plurimum contulerit. Nam quem ad modum in fabulis traditum est poetarum opera homines feros ac barbaros ad humanum civilemque cultum fuisse deductos, ita poetae etiam tum populi doctores habiti, non minimum momenti ad omnem disciplinam afferebant atque uberrimum manabat ex scena eruditionis flumen (1).

Quum vero ex communi vita et tanquam e foro res ac personas sumere ausus sit, idque non in humili ac pedestri sed in sublimi literarum genere fecerit, nullum dubium est quin, tragoediae natura corrupta, poeticam sibi laudem imminuerit. Aeschylus enim et Sophocles non quae oculis obversarentur imitantes, sed velut sui temporis immemores earum rerum, quae diuturnitate nobilitata essent, eximiam perfectamque speciem complectentes, praeclaras ac plenas dignitatis fabulas composuerant, quibus audientium animi ad maiora extollerentur. Quare, si vera tradit Aristoteles, *Poet.* 25, Sophocles ipse ait se personas finxisse quales esse deberent, Euripidem quales essent. Qui non animo indulgens sed homines, qui tum erant, circumspiciens, modo indignatione flagrans, modo emendandi studio incensus, bona mala vitia virtutes ad philosophiae normam referebat et mores atque ingenia personarum permiscens, quae ipse sentiret ac mente cogitaret proponebat (2). Quo factum est ut ii qui audirent non modo quae servi vel mulierculae philosophantes profunderent, sed etiam ea, quae singulis locis ac loquentium naturis maxime convenirent, poetae ipsi aut laudi aut vitio verterent (3). Quam ob rem qui graecarum literarum historiam scripserunt quum ad poeticam facultatem perfectamque artem sibi maxime spectandum arbitrarentur, de scenica poesi disserentes Euripidem non simpliciter neque ex proprio genere iudicaverunt, sed cum praeclaris illis tragoediarum scriptoribus comparantes, longo post eos intervallo collocarunt. Neque iniuria. Verum ad existimantium iudicium magnum momentum esse oportet non modo quid poetae ipsi praestiterint, sed etiam quantum apud homines gratiae et auctoritatis consequuti sint. Fuerunt enim poetae, quorum opera absoluta omnibusque numeris perfecta ad animos hominum excolendos vim suam in omne tempus integram atque incorruptam retineant; alii vero, quorum velut praesagientes animi communes necessitates suique temporis adumbratas rationes altius introspexerint; quorum in operibus

(1) Lycurg. *adv. Leocr.* 102: *οἱ μὲν γὰρ νόμοι διὰ τὴν συντομίαν οὐ διδάσκουσιν ἀλλ' ἐπιτάττουσιν ἃ δεῖ ποιεῖν, οἱ δὲ ποσηταὶ μιμούμενοι τὸν ἀνθρώπινον βίον τὰ κάλλιστα τῶν ἔργων ἐκλεξάμενοι μετὰ λόγου καὶ ἀποδείξεως τοὺς ἀνθρώπους συμπείθουσιν.* Et Aristophanes *Ran.* 1054 *τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δέ ποιηταί.* cfr. 686. 108.

(2) Aristoph. *Ran.* 949 *ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἠ γραῦς ἄν.*

(3) Narrat Seneca *ep.* 115 cum versus quidam in tragoedia Euripidis pronuntiati essent, quibus aurum parentibus ac liberis anteponeretur, totum populum ad eiiciendum et actorem et carmen consurrexisse uno impetu. Quod negant esse verum. At certe verisimile; nam praeter quam quod ea res est, quae stomachum moveat, iam satis didicerat populus a comicis nihil personis, omnia poetae tribuere. Versus exstant *fr.* 326.

(Omissis fabularum perditarum nominibus, quae longum erat apponere, in fragmentis afferendis numeros retinui editionis Nauckianae *Lips. Teubn.* 1869).

magis quam in bellis aliisque perturbationibus initia commutatae humanitatis quaerenda videantur. Quo in genere haud facile reperias quem Euripidi anteponas. Qui ingenii acie atque doctrina tam longo intervallo aequales antecessit, ut per multos annos tanquam impius novarumque rerum prave studiosus audiret neque ullam fere palmam consequutus sit. Tempore autem procedente tantum gratiae atque admirationis habuit ut, non modo domi, sed etiam procul a patria unice diligeretur. Tradunt enim Athenienses post syracusanum incommodum in Sicilia captivos Euripidis carmina recitando victum quaeritasse. Domi oratores ipsi versus eius in iudiciis pronuntiabant, ut Lycurgus *adv. Leocr.* 100, Aschines *adv. Tim.* 151-53. Nec solum vulgus, sed etiam homines ingenio et doctrina praestantes, Socrates, Plato, alii non parum laudis atque honoris ei tribuerunt; posteri autem philosophum et eximio nomine poetam appellarunt. Qua commendatione ac sententioso scribendi genere factum est ut maior quam Aeschyli et Sophoclis fabularum numerus atque uberior fragmentorum copia conservaretur.

Quarum rerum singularitate permoti facere non possumus quin quaeramus; quaenam tam nova ac superioris temporis dissimilia in scenam produxit atque in vulgus propagavit? Utrum certae philosophorum familiae addictus fuit an propria quaedam sequutus est? Elucetne ex eius sententiis ac vocibus prima atque universa notio, ad quam omnis iudicandi agendique ratio referatur? An in varias sententias distractus incerti ac fluctuantis animi speciem praebet? Non breve quiddam nec nullius operae est explanare et perspectum habere quid de quaque re Euripides senserit, qui res ita contrarias ac inter se repugnantes commiscuerit, ut modo veterum opiniones tueri, modo sophistarum rationem sequi videatur. Nec defuerunt qui singulis quaestionibus ea, quae Euripidi probata fuerint, erudite exponerent (1). Sed quoniam singula tum facillime declarantur, quum totae res cognitae sint, haud alienum visum est quae de diis, de hominibus, de re publica ac domestica passim pertractata sunt, ea tanquam discerpti membra poetae in unum contrahere ac nonnulla addere, quibus inter se connexis eius imago quodam modo redintegraretur. Ac ne quis forte credat me subtiliores quasdam philosophiae rationes investigandas suscipere, quibus Euripides alienis vestigiis insistit, eam sapientiam interpretor, quae ad hominum vitam et cultum propius pertineat.

(1) Quorum scripta ne saepius afferre cogar, hic semel memorabo: Valckenaer, *Diatribe in Euripidis perditorum dramatum reliquias*, 1767. Wiedeburg, *De philosophia Eur. morali*, 1806. Bouterwek, *De philosophia Euripidea*, 1817. Hasse, *Euripidis tragici philosophia qualis fuerit*, 1843. Hartung, *Euripides restitutus*, 1843-44. E. Mueller, *Euripides deorum popularium contemptor*, 1826. Jessen, *Ueber den religioesen Standpunkt des Eur.* 1843, 1849. Naegelsbach, *Nachhomerische Theologie*, 1856, *Abschnitt* 8. Rumpel, *De atheismo Eurip.* Goebel, *Eurip. de vita privata ac domestica quid senserit*, 1849. Lenz, *Eur. kein Feind der Weiber* in *N. Bibl. der schoenen Wissenschaften*. Schenkl, *Die politischen Anschauungen des Eurip.* in *Zeitschrift für oesterr. Gymnasien*, 1862, *Heft V, VII, vol.* 58. Pflugk, *Introd. edit. II.* Huc adde scriptores historiae literariae; praeterea Welcker, *Griech. Tragoedie.* Grote, *History of Greece*, etc.

CAPUT I. DE REBUS DIVINIS.

Triplex omnino genus est earum rerum, quae ad deos spectant apud Euripidem. Sunt enim quae ex communi quadam opinione profecta hominem antiqui moris ac pristinae pietatis studiosum deceant. Alia erumpunt ex animo miseriis vel sceleribus humani generis exacerbato, deos accusante quod iustos opprimi, improbos omnibus bonis cumulari sinant; quibus rebus postremo dubitat an dii sint, interdum negat. Denique pluribus locis divinae naturae notionem petit ex philosophia, communes deos aut neglegens aut tollens. Haec tamen, quatenus de fabulae cuiusque tempore iudicari licet, quod de paucis constat, non eo, quem constituimus, ordine descripta sunt, ut cum animo a veteribus ad nova constanti et aequabili motu procedente congruere videantur, sed ita inter se commixta et implicata ut ostendant Euripidem totam aetatem contrariis sententiis distractam egisse (1). Una et ea novissima fabula, Bacchae, quae mortuo auctore primum acta est, sanctitatem quandam et religionem spirat, ad quam poetae iam senis ac diu exagitati fractus animus tanquam ad portum confugisse videtur.

Ac primum beatum praedicat qui sana mente ornatus utilitatem suam in cultu deorum sitam esse censeat *fr.* 258; non enim sine divino numine laetus quisquam *fr.* 1014 non felix esse queat *fr.* 149. Nihil virtus hominibus prodest, nisi deum faventem habeant *Suppl.* 592; quam ob rem stultus est qui diis invitis arma sumat *fr.* 354. Eum diligunt dii qui se veneretur ac pia mente vel tenues hostias ferat *fr.* 940 (2), quibus unice delectentur. Itaque Neptunus Troiam eversam queritur, quod in solitudine nullus supersit deorum cultus *Troad.* 27. Bonorum res provehunt mortemque dolent *Hipp.* 1339; malos vero ulciscuntur neque adversus eos, qui ius fasque solliciti tueantur, si quid deliqueris, securus ullo pacto sis *fr.* 446. Subitae mutationes fortunae a diis repetendae sunt *fr.* 964, qui victorum sortem demergunt, ne ipsorum viribus freti arrogantius gestiant *Andr.* 1007; quum autem scelestos perdunt, innatae iustitiae satisfacientes se esse confirmant *fr* 581. Multa praeter opinionem perficiunt, obscura et inopinata ad exitum perducunt (v. *Andr. Alc. Bacch. Hel.* extremos versus). Verum iusto homini nullo

(1) Id nolim obliviscatur qui legat Naegelsbachii *Theologiam posthomericam* 8, 7-22 ubi progredientis impietatis argumenta certo ordine ac ratione digesta sunt. — De tempore fabularum cfr. Zirndorfer, *De chronologia fabul. Eurip. dissert. Marburg*, 1839; Hartung, *Eur. rest.* Fix, *Praefat. ed. Didot.*

(2) Id saepius occurrit apud veteres, Hesiodum sequutos *Op.* 336, cuius nobilem versum κὰδ δύναμιν δ' ἔρδειν ἱέρ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν Socrates affert ap. Xenoph. *Mem.* 1, 3, 3 ubi ait iustos non esse deos, si gratiores habeant magnas divitum hostias quam exiguas pauperiorum. Cfr. et Horat. *Carm.* 3, 23.

eventu vel infortunio obsequii ac pietatis immemori esse licet, ut superioribus iisque optimis naturis succenseat *fr.* 1063. Nam pleraque mala, quibus homines vexantur, ipsi sibi parant vel naturae necessitatibus continentur, neque ad iniustitiam deorum sed ad rerum humanarum perturbationem ac malitiam referenda sunt, *fr.* 609. Homines vero tantum abest ut se ipsi accusent, ut nunquam non diis malignitatem ac perfidiam obiiciant *fr.* 256 (1).

Ex his locis aliisque huiusce modi intelligimus, quibus affectibus ac iudiciis maxima pars hominum, qui tum erant, uteretur, iisdem Euripidem haud raro obsequutum esse; quorum quanta vis esset ipse ait *Bacch.* 200:

οὐδὲν σοφιζόμεσθα τοῖσι δαίμοσι·
πατρίους παραδοχὰς ἅς θ' ὁμήλικας χρόνῳ
κεκτήμεθ', οὐδεὶς αὐτὰς καταβαλεῖ λόγος
οὐδ' εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν ηὕρηται φρενῶν.

Quae patientia ac mansuetudo non illa quidem est sedata et iucunda sophocleae mentis, sed fracti demissique animi indicium, ex fluctibus contentionum tranquillitatem quaerentis. Id enim fuit Euripidis ingenium, quod rerum humanarum turba atque indignitate non modo graviter commoveretur, sed caussas auctoresque inquirens vehementer inveheretur et acerbitatis virus evomeret. Qua in re qui fieri poterat ut a diis abstineret? Dii enim humanas res ad exitus obscuros et inopinatos perducunt, quos nec praesentiri nec vitari liceat (2); qui quum viribus ac potentia superiores sint, innumeris cavillationum modis mortales decipiunt *fr.* 925, eorumque animis tenebras offundentes ad exitium impellunt; utinam deos exsecrari liceret *Hipp.* 1414. Si quis peccaverit, dii, qui leges mortalibus scripserunt, ab eo poenas sumunt; qui demum aequum est ipsos violandarum legum auctores esse? *Jon.* 440. et homines, qui deos imitentur, improbitatis insimulari, non deos ipsos, qui vitia doceant? *Jon.* 449. Qui si hominum minas non curant, tamen pari contumacia iis responsare doloris levamentum est *H. F.* 1242. Amphitruo Jovi iratus *ἀρετῇ σε*, inquit, *νικῶ, θνητὸς ὢν θεὸν μέγαν· παῖδας γὰρ οὐ προὔδωκα τοὺς Ἡρακλέους. Σὺ δ' ἐς μὲν εὐνὰς κρύφιος ἠπίστω μολεῖν, τἀλλότρια λέκτρα, δόντος οὐδενός, λαβών, σῴζειν δὲ τοὺς σοὺς οὐκ ἐπίστασαι φίλους. Ἀμαθής τις εἶ θεός, ἢ δίκαιος οὐκ ἔφυς.* *H. F.* 342. More malorum hominum vetera iurgia recordantes dii post multos annos acerbe ulciscuntur. Itaque quisnam Apollinem sapientem ducat, qui unius vocis caussa commiserit, ut Pyrrhus in suo templo interficeretur? *Andr.* 1163; quisnam Junonem colat, quae veteris iniuriae stimulis Herculem, egregie de Graecia meritum, perdiderit? *H. F.* 1307. Quoniam mortales saepe eundem pietatis fructum quem malitiae percipiunt, optimus ille Jupiter omni iustitia destitutus est *fr.* 829. Iam vero

(1) Iam Homerus communem errorem arguit mala omnia ad deorum invidiam referentium *Od.* α, 32 *ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται. Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν.*

(2) Longe alia mente dixerat Aeschylus *Suppl.* 86. *Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος βροτοῖσι* et 29 *δαυλοὶ γὰρ πραπίδων δάσκιοί τε τείνουσιν πόροι κατιδεῖν ἄφραστοι.*

quum piorum et innocentium alteri beatam vitam, alteri miserrimam et inauditis infortuniis cumulatam agant, efficitur ut non divina iustitia sed fortunae temeritas nos acerbe ludificantis bona ac mala largiatur *fr.* 685. Et quoniam tyranni privatos homines fortunis omnibus exspoliantes, iurisiurandi religionem neglegentes, beatiores ac feliciores vivunt quam boni; quoniam parvae civitates, deos legumque sanctitatem colentes, a maioribus civitatibus iisque impiis ac superbis opprimuntur, nemo deos esse credat, nemo veteres fabulas sequatur, nisi qui mentis lumine orbatus sit. Agedum experiantur isti, fidentes diis, otiose vivere, ac molestum laborem ad victum comparandum abiicere! viderint aliquando quid sibi de ope divina arbitrandum putent *fr.* 288. Praeterea qui sine ullo discrimine maiorum commenta defendunt ne deos quidem infortuniis flagitiisque immunes credant necesse est. Nonne multa maleficia inter se commiserunt? nonne parentes dominationis cupiditate incensi in vincula coniecerunt? Tamen in Olympo beata immortalitate fruuntur neque conscientiae stimulis neque acceptarum iniuriarum memoria commoventur *H. F.* 1314. Atqui dii, si quid iniusti agunt, nulli sunt *fr.* 294. In quae si quis penitus introspexerit, sibi persuadeat ea inania poetarum esse commenta, a perfecta deorum natura ac maiestate abhorrentia *H. F.* 1341-45, vel proprietates quasdam divinae figurae, quam omnes gentes sui quaeque similem finxerint. Graeca sacerdos, quum in barbara gente versaretur, non intelligit cur Artemis homines sanguine respersos a suis altaribus arceat, ipsa humanis hostiis delectetur. Num fieri potuit ut Iupiter ac Latona tantum inscitiae genuerint? Nec satis est Iphigeniae barbarorum mores improbare; patrias quoque fabulas repudiat et Tantali coenam deosque crudeles et caedis avidos a trucibus et feris mentibus inventos esse credit *Iph. T.* 380. Quibus dubitationibus incertus Euripidis animus ulterius progreditur ac deos omnino esse negat. Ulixes Cyclope exitium minitante Iovem hospitalem tam contumaciter invocat, ut utrum sit necne aperte dubitare videatur « haec vide, Iupiter hospitalis; quae nisi videris, nihili deus sis » *Cycl.* 354. Quae voces saepius erumpunt ex animis vel calamitate aliqua perculsis vel rerum humanarum rationes tranquille investigantibus. Iupiter, quisquis es (1) *H. F.* 1263, quem modo nomine novi *fr.* 483; Iupiter, si quidem in coelo est *fr.* 892; servimus diis, quiqui demum dii sunt, *Or.* 418. Clytaemnestra cum Achille ita argumentatur: « si dii sunt, qui iustus es vir bona consequeris; sin nulli sunt, quid iuvat labores suscipere? » *Iph. T.* 1034. Itaque non est mirandum Euripidem ab Aristophane vituperatum fuisse, quod deos esse negaret (2).

Verum haec non inaudita fuerant aetati euripideae. Neque his adnumeranda sunt ea, quae animi improborum felicitate commoti contra deos profuderunt; quibus Sophocles ipse lentitudinem *El.* 825 et iniustitiam *Phil.* 451 obiecit. At multo plura occurrunt incorruptae fidei et summissae mentis documenta *El.* 173. *Oed.*

(1) Eadem verba Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστὶν apud Aesch. *Agam.* 160 imperscrutabilem dèi naturam significant.

(2) *Thesm.* 450 νῦν δ'οὗτος ἐν ταῖσι τραγῳδίαις ποιῶν τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς. Cfr. Rumpel. *o. l.*

R. 280 cfr.. *Aesch. Sept.* 77. Sed iam pridem, ut supra demonstratum est, res antiquitus traditae tentari atque interius quaeri coeptae fuerant, nec fieri poterat ut dii illi Homeri et Hesiodi, quorum pristina significatio evanuisset, hominum vitiis inquinati, voluptatibus indulgentes, apud integrum ac iustum aestimatorem suam auctoritatem servarent. Primus omnium Xenophanes vulgari deorum opinioni adversatus fuerat, negans eos more mortalium genitos esse; quibus idcirco hominum vitia ac scelera tributa essent, quod omnes gentes suî quaeque similes deos essent commentae, ut Aethiopes simos, Thraces flavos ac caesios, neque aliter, data facultate, boves ac leones facerent (1). Ulterius processerat Anaxagoras Clazomenius, quem ferunt homericas fabulas ad morum quandam significationem retulisse deorumque nomina translate interpretatum esse. Idem solem divinitate exspoliatum nil aliud esse affirmavit nisi lapideam molem ignitam (2); in aethere omnium rerum semina contineri, quae terra excepta pubescerent. Qui quum diceret mentem quandam, non illam quidem materiae coniunctam atque implicatam, sed quae propria vi sua esset, res omnes incompositas in ordinem redegisse et mundi artificem fuisse, magnum momentum attulit ad opiniones deorum novandas atque ad unius dei notionem convertendas (3). Protagoras aiebat dii essent necne neque adfirmari neque negari posse; rem enim ipsam obscuriorem esse ac breve hominum vitam. Ipse tamen videtur ita deos interpretatus ut, quae prodessent hominibus, ea in deorum numero habita esse censeret (4). Diagoras autem Melius quid senserit ex ipso cognomine ἄθεος satis apparet.

Sed Anaxagorae disciplinam praeclari homines Athenis complexi erant, omnium primus Pericles, cum Anaxagora ea necessitudine devinctus, ut adversarii, eius auctoritatem labefactare cupientes, philosophum opprimere conati sint (5). Archelaus quoque auditor fuit Anaxagorae, qui postea Macedonum rex Euripidem senem excepit. Denique Euripides ipse, qui tam vehementi studio in Anaxagorae disciplina versatus dicitur, ut non modo res sed etiam vultum nunquam ridentis praeceptoris imitatus esse videatur (6). Itaque satis multa in eius scriptis reperiuntur ad Anaxagoreas rationes referenda, v. g. coelum et terram communes omnium rerum parentes fuisse *fr.* 1012, aetherem infinitum, qui terras amplexetur, Jovem ac deum habendum *fr.* 935; mentem in singulis hominibus deum esse *fr.* 1007. Sed de vestigiis Anaxagoreae doctrinae apud Euripidem egregie disputavit Valckenarius; quae quum magis ad rerum naturam quam ad animos

(1) Nobiles illi Xenophanis versus conservati sunt: πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστίν· καὶ πλεῖστ' ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθεμίστια ἔργα, κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν. Cfr. Sex. Emp. *adv. Matth. I*, 289 *et IX* 193. Arist. *Rhet.* 2, 23. Clem. Alex. *Strom. VII*, *p.* 711 *B*, *p.* 601. Praeterea Cic. *N. D* 1, 27, 77.

(2) Diog. L. 2, 11, 28. Plat. *Apol. p.* 26 *D*. Xen. *Mem.* 4, 7, 7.

(3) Diog. L. 2, 6, Cfr. Aristot. *Phys.* 8, 1.

(4) Diog. L. 9, 50. Cic. *N. D.* 1, 42, 118.

(5) Plat. *Phaedr. p.* 270 *A*. Plut. *Nic.* 22, *Pericl.* 4, 5, 32; Diog. L. 2, 12, 14. Cfr. Zeller *Philosoph. der Griechen I*, 667.

(6) Cic. *Tusc.* 3, 14. A. Gell. 15, 20 Aelian. *V. H.* 8, 13. Verisimile est Euripidem ad Anaxagoram spectasse *fr.* 902 ubi pulcherrimis verbis imaginem sapientis expressit.

moresque hominum pertineant, nos haec potissimum sectantes in iis pluribus verbis commorari nihil attinet (1). Anaxagorae δημιουργὸν νοῦν non inepte expressum volunt *frag.* 596 Clemens Alexandrinus *Strom.* 5, *p.* 717 et Valckenarius *l. l.* (2). Nec tamen eam constantem quandam et Euripidi unice susceptam dei notionem fuisse credo, quae ad iustitiam, ad aequitatem, ad universas hominum rationes continendas nec per se satis pateret nec poetae ingenio satisfaceret. Unum enim de virtute praeceptum ab Anaxagora petitum videtur, ubi ait praemeditatione futurorum malorum leniri eorum adventum *fr.* 392 (3). Id igitur caussae fuisse arbitror quare Euripidi, tametsi Anaxagoram summa et admiratione et benevolentia prosequebatur, tamen eius doctrinae finibus contineri et quiescere non licuit. Itaque per varias disciplinas deferebatur hospes atque ex ipsis orphicis commixtionem quandam deorum mutuatus est (4). Severus enim ac religionis studiosus fuit Euripidis animus, qui quum opinionem deorum antiquitus traditam retinere non posset, sollicita cura rei tam obscurae et gravi lumen aliquod adhibere contenderit. Quod quum infeliciter conatus esset, interdum ad vetera et communia convertebatur. Nisi ita fuisset, in Prodici et Protagorae disciplina versatus, abiecta omni deorum cura, sophistarum rationes non per occasionem sed constanter amplexatus esset (5). Itaque frustra, credo, apud Euripidem notionem dei certam et constantem conficere conamur, qui propterea fluctuaret, quod nullam non mancam atque ineptam esse existimaret. Sed immensum quiddam et inexplicabile eius menti obversatum esse ex pulcherrima prece intelligitur, qua deum maesto animo invocat, ut, malorum origine patefacta, esset aliquando miseriarum humanarum finis *fr.* 904.

Deorum opinione labefactata, consentaneum erat omnia instituta dissolvi, quae cum religione essent coniuncta; in primis divinationem. Hic quoque videtur Euripides vestigia Anaxagorae sequutus esse, cuius interpretationibus dubito an efficerentur quae bonus ille Plutarchus ait *Pericl.* 6, ut portentis ac prodigiis naturali philosophia explanatis, non timida et importuna superstitio, sed secura

(1) Cfr. Anaxag. *ap. Simplic. fol.* 336; Theoph. *hist. plant.* 3, 2; Diog. *L.* 2, 6 *et* 9; Aristot. *Phys.* 8, 1. Valckenarius *Diatr. cap. IV et V* mira subtilitate Anaxagorea in Euripide persequitur, atque ad opinionem de sole lapideo innuere censet *Or.* 974, cfr. Schaubach *De Anax. Clazomenio seu de vita eius ac philosophia*; verisimile est Anaxagoreum illud fuisse, quae longius a sole essent, ea vehementius ardere, propiora vero contemperata *fr.* 776, cfr. Vitruv. 9, 4; nivibus in Aetiopia tabescentibus Nilum exundare *fr.* 230, *Hel.* 1-3 cfr. Diod. 1, *p.* 46 *Schol. Apoll. Rhod.* 4, 269. Valckenarius putat *fr.* 905 naturae investigatores improbari, qui ante Anaxagoram fuissent. Equidem arbitror eadem disciplina contineri rationem illam satis quidem inficetam fabulam de ortu Bacchi interpretandi *Bacch.* 288.

(2) Σὲ τὸν αὐτοφυῆ τὸν ἐν αἰθερίῳ ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ', ὃν πέρι μὲν φῶς πέρι δ' ὀρφναία νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ' ἄστρων ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.

(3) Cic. *Tusc.* 3, 14: id de se ipso loquitur Euripides. Fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt, nuntiata morte filii, dixisse: sciebam me genuisse mortalem. — Eadem tradunt Ael. *V. H.* 3, 2; Valer. Max. 5, 10. At Diogenes 2, 56 eam vocem Xenophontis fuisse scribit.

(4) Unus idemque deus est Cibele et Gaia *Hel.* 1301, *Bacch.* 274; Gaia et Hestia *fr.* 997; Apollo et Sol *fr.* 775; Persephone et Hecate *Jon.* 1054; Jupiter et Hades *fr.* 967. V. Lobeckii *Aglaophamum p.* 79, 155, 614 et Naegelsbach. *Theol. posthom.* 8, 16.

(5) V. Γένος Εὐριπίδου καὶ βίον *init.* et Nauckium *de Eur. vita, ad. not.* 15.

pietas bona spe freta in animis oriretur. Haruspices, augures, harioli, coniectores Euripidi artifices fraudolenti et tanquam circulatores habentur. Quid est vates? qui parum veri inter multa et falsa loquitur, nec si erraverit quisquam curat *Iph. A.* 956. « Qui vatum subsellia occupatis creditisne deorum res perspectas habere? nonne homines earum vocum auctores sunt? Qui divinas res cognoscere profitetur non fatidica mente sed persuadendi arte instructus est *fr.* 793. » Ceterum omne hariolorum genus ambitiosum, malum, inutile, nequam *Iph. A.* 520, fraudum artifex, cuius nefaria lingua, nulla sapientia ornata, de rebus obscuris coniectare velit *fr.* 905. Quibus locis Euripides in eos severitatis aculeos emittere videtur, qui credulitatem vulgi decipientes omina vel somnia interpretando quaestum faciebant. At radicem divinationis exstirpat quum diis ipsis facultatem futura praesentiendi abiudicat. Ait enim deos, qui sapientes habeantur, non minus avibus fallaces esse; ut hominum ita deorum res in magna perturbatione versari. Id autem maxime dolendum, si quis vatum obtemperans monitis, non inops ipse consilii, pereat *Iph. T.* 570. Nec semel accusatur Phoebus imprudentiae et iniustitiae *Andr.* 1139, *Or.* 28, 277, 106. *El.* 1240, 1298. Quae mirum quantum abhorrent ab opinione non modo vulgi ac poetarum, verum etiam ipsius Socratis, qui Xenophontem, dubitantem utrum ad Cyrum proficisceretur an domi maneret, Delphos ad oraculum consulendum misit; qui quum non ea potissimum rogasset, quae Socrates monuisset, tamen deo obtemperandum esse censuit (1).

Asyli quoque ius, quod maxime cum religione coniunctum erat, Euripides impugnavit. Quod nemo dubitet quin utilitatis aliquid attulerit, quamdiu feris temporibus insontes a vi et iniuriis tutatum sit. Quo quum nimis abusi fuissent Graeci, iam deorum altaria bonis et improbis sine ullo discrimine perfugium praebebant. Itaque Euripides ait iniquam esse eam legem a diis impositam humano generi, qua sceleratissimo cuique eorum altaria contrectanti salutem quaerere liceret nec cuiquam audaces inde repellere fas esset; quod bonis piisque hominibus reservandum fuisset, *Ion.* 1312. Quam ob rem, ea lege neglecta, sine ullo deorum timore sontes ex altaribus in ius rapiendos censet *fr.* 1036. In quo Naegelsbachius angusti parvique animi Euripidem arguit; Schenkelius defendit poetam non ad rem tollendam sed ad utentium pravitatem multaque pessimi exempli corrigenda spectasse (2). Equidem non video quid in asyli iure reliqui fuisset, ubi sontes ex altaribus rapiendi facultas data esset. Noxa et innocentia haud raro ambigua quaedam sunt et ad rationem civilium temporum relata varie iudicantur; asyli vero ius nullum est si ad aliquid referatur et cum aliqua exceptione observetur. Quare mihi res altius videtur repetenda atque illud cogitandum, id Euripidi propositum fuisse, ut religionem et rem publicam, etiam tum arctissime commixtas atque implicatas, seiungeret et civitatem omni sa-

(1) Sophocleus quidem Oedipus in Tiresiam cunctantem et obscuris verbis loquentem multas profundit contumelias *O. R.* 334-446, sed toto tenore atque ipso exitu fabulae vatis auctoritas confirmatur. Cfr. et *Ant* 1035. — De Socrate v. Xenoph. *Exp. Cyr.* 3, 1, 4-8.

(2) Naegelsb. *Theol. posth.* 8, 9. Schenkl, *Die polit. Ansch. cap.* 11

cerdotum tutela liberaret. Et alia eodem spectant, ac. v. g. negabat, si quis caedem alicui intulisset, vel sine noxa impurum habendum donec facinus expiaret *H. F.* 1234, 1400. *Iph. T.* 380, nec mulieres sacris addictas a nuptiis prohibendas censet *fr.* 268.

Verum Euripides, quum divinarum rerum certaeque fidei auctoritatem repudiasset, non modo non abiecit sed multo interius ac firmius animo complexus est notionem illam aeternae atque inexorabilis iustitiae improbos persequentis, quae innata quadam necessitate orta omnium Graecorum communis fuit. Non desunt quidem loci, quibus Justitiam scelerum incuriosam ac neglegentem, impios impunitate gestientes queratur *Phoen.* 1726. At quid Euripides de iustitia sentiret non ex iis vocibus colligendum puto, in quas animi dolore vehementer excruciati effunduntur. Vulgaris opinio fuit apud Graecos Dicam non propria vi sua suique arbitrii sed deorum atque in primis Iovis esse iustitiam divina figura indutam (1). Quod et in fabulis euripideis identidem occurrit. Ait enim Dicam Iove natam prope mortalium facinora habitare *fr.* 150; eandem ministram deorum appellat, quos frustra te quidquam celaturum speres. Etenim Dica non procul est ab hominibus, videt invisa ac probe novit quinam puniendi sint. Tu vero ignoras quando futurum sit ut improvisa ad scelera ulciscenda superveniat *fr.* 257. Lentum quidem interdum numen deorum, sed nihilo minus est iustitiae certa lex, quam serius ocius effectus consequatur *Bacch.* 882, *fr.* 832. Socia autem iustitiae temporis diuturnitas, qua omnia in lucem proferuntur et quid verum quid falsum sit arguitur *fr.* 444, 559 (cfr. Soph. *Ai.* 646) et speculi ritu imaginem puellae reflectentis, noxios patefacit *Hipp.* 428. Itaque nullum maleficium diu latere potest *fr.* 509. Nolite credere quidquam esse firmum ac stabile in progenie ac rebus improborum; malitia enim aliquando patefacta punietur. Una salutis spes in iustitia est; nemo iniustus unquam felix fuit *Hel.* 1030. Juste vel pauca habere praestat; etenim qui magna sibi iniuste parare velit similis sit mercatoris, qui maiora quaerens omnia perdat *fr.* 421. Una iustitia firma est et exigua iustorum manus multis improbis validior est *fr.* 246, immo vero unus iustus vir deo ac iustistia fretus infinitam malorum multitudinem superat *fr.* 588. Neque ubi maleficium patraveris speres futurum, ut ullo artificio vel torquendo ac volvendo corrigatur *fr.* 807. Videsne aliquem divitiis vel nobilitate generis elatum? iam instat poena *fr.* 1027. Si quis ius atque iniuriam permiscens honores divitiasque adpetiverit, si quis maleficiis delectatus fuerit, poenas luet; id enim oblectamentum est, ex quo acerbos fructus percipi necesse sit *fr.* 1075, *Or.* 413, *H. F.* 735, *fr.* 423.

Haec universa lex, qua paria paribus referuntur, non unius aetatis finibus continetur, sed et liberi parentum et nepotes maiorum peccatis plectuntur *fr.* 970, *Hipp.* 1379. Quod quum multis partibus naturae consentaneum est, tum eo magis

(1) Naegelsb. 1, 18-27. Tragicorum loci praecipui de Dica sunt: Aesch. *Agam.* 250, 387, 750, 1562; *Choeph.* 61, 309, 400, 1018. *Suppl.* 342, 434, 732. Sophocl. *El.* 1026, *O. C.* 280, 1381, 1454, *Ant.* 313, 856. Confer praeterea Solon. 4, 15, Theogn. 205.

verisimile videbatur, quo minus de immortalitate animorum certis iudiciis veteres utebantur. Hercules infortunia sua ex facinore Tyndari repetit: « eo natus sum, qui caede respersus Alcumenam duxerit, sene eius patre interfecto. Quum autem generis fundamenta male iacta sint, tota stirps necessario calamitatibus conflictatur *H. F.* 1258.

Verum quid fieret iustitia deorum ubi deos ipsos sustuleris? Quod credo sensisse Euripidem atque in eo a communi sententia dissensisse, quod iustitiam deorum arbitrio subductam in rerum necessitate positam finxerit. Ait enim *fr.* 508:

δοκεῖτε πηδᾶν τἀδικήματ' είς θεοὺς
πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς
γράφειν τιν' αὐτά, Ζῆνα δ' εἰσορῶντα νιν
θνητοῖς δικάζειν; οὐδ' ὁ πᾶς ἂν οὐρανὸς
Διὸς γράφοντος τὰς βροτῶν ἁμαρτίας
ἐξαρκέσειεν οὐδ' ἐνεῖνος ἂν σποπῶν
πέμπειν ἑκάστῳ ζημίαν· ἀλλ' ἡ Δίκη
ἐνταῦθά πούστιν ἐγγύς, εἰ βούλεσθ' ὁρᾶν.

Itaque Jupiter ad puniendum esset invalidus, nisi Dica omnia pervadens, nullo impellente, suo munere fungeretur.

CAPUT II. DE HUMANI GENERIS CONDICIONE.

Multa apud veteres Graecos ad vitae iucunditatem alacritatemque augendam pertinebant; salubritas aëris temperatique coeli suavitas, corpora quum natura tum exercitationibus apte corroborata eaque formarum dignitate, ut tanquam exemplaria excellentium operum artificibus proposita esse viderentur (1); ingenia modica, facilia, industria; libertas et aequabilitas iuris; animi elati, vividi, rei publicae studiosi; ipsa solemnia ac religiones venustissimis fabulis ac ritibus ornatae. Itaque haud facile aliam gentem reperias, quam vita mortalis pari dulcedine delectaverit. Nec quid post mortem futurum esset satis curabant, neque opinione de immortalitate animorum, cui philosophi, quamvis acriter quaerentes ac disputantes, nunquam omnem dubitationem abstulerunt, a praesenti hilaritate avocabantur. Quam ob rem ad leges, ad mores, ad instituta omnia, vitae mortalis finibus circumscripta, nullum fuerunt momentum alterius vitae spes et condicio (2). Est sane ubi miseri mortales omni iucunditate ac voluptate privati humani generis caducitatem

(1) *Καλὸς καὶ μέγας* communis fuit laus pulcritudinis; Plat. *Lys.* et *Sympos.* Athen. 13, 609.
(2) Lehrs *Gott, Goetter und Daemonen.* Naegelsb. *Theol. hom. et posth.*

ac infortunia querantur (1); sed iis exceptis, pauca admodum iudicia sunt animorum tam morose atque importune sortem nostram interpretantium, ut id ipsum quod essent miserum ducerent. Quae tam integra et naturae consentanea animi affectio, ipsa rerum humanarum fragilitate non fracti, sed ad maiores voluptates incitati, non aliena est a personis euripideis. Itaque lucis suavitatem studiosissime appetunt qui ex vita discedere coguntur *Alc.* 722, *Iph. A.* 1250. O splendide aether suavisque lux, quantum solatii beatis et miseris vos intueri *fr.* 446. Diuturna mors, vita autem brevis at suavis *Alc.* 691. Stultus est qui vitae mortem anteponat; vivi beati sunt *fr.* 154, hac luce delectamur; inferorum tenebrae ne in somniis quidem iucundae *fr.* 537; homo mortuus pulvis et umbra est, nihil ad nihilum recidens *fr.* 536. Nulla est vitae miseria, qua ad mortem petendam adducamur. Inania praedicant senes quum aiunt se propter incommoda senectutis mortem optare; qui mortem adpropinquantem effugere conantur neque gravem amplius senectutem esse sentiunt *Alc.* 669. « Si videam caecum aerumnis vexatum quem alter caecus manu ducat, eius ignaviam vituperem qui vivere malit, quum mors, promptus malorum exitus, praesto sit. Ego vero, qui in eadem sim condicione, contra facio; tantus amor vitae hominibus insitus est; scimus enim quid vivere sit, quid mors ignoramus, quam ob rem omnes terrentur *fr.* 813 ». In universitate rerum praecipuus humani generis locus est, cuius exiguae quidem vires, sed ingenii acumine omne genus animantium sibi subiectum reddit *fr.* 27. Nemo, credo, tam iucundam ac vividam imaginem hominum condicionis atque industriae expressit quam Euripides *Suppl.* 195-215 (2).

At eius modi vocibus multo plura opposita sunt miserias atque aerumnas nostri generis dolentium et mortem remedium ac solatium invocantium. Quae tametsi personarum fortunis conveniunt, tamen et crebro iterata et saepius ea mentis tranquillitate proposita sunt, ut ex intimo corde philosophantis poetae proficisci videantur. Vitae labori nomen est *fr.* 957, stulte mortales sese laborum vacuos credant *fr.* 396; vitae cura nunquam iucunda *fr.* 34 quam innumera mala comitantur *fr.* 203, 653, 872, plurimas habentia formas sed perpetua vice inter se excipientia *fr.* 210, 35 (cfr. *Aesch. Pers.* 706, *Suppl.* 327). Itaque non modo in praesens cruciamur sed etiam in futurum tempus terroribus implemur, quibus vehementius angimur quam rebus praesentibus fr. 146 (cfr. Soph. *Trach.* 943). Qua vicissitudine animantium ac gignentium alia crescunt alia extinguuntur, eadem calamitates aliis conquiescunt aliis oriuntur *fr.* 419. Nulla voluptas a dolore seiuncta mortalibus contingit *fr.* 197; homines vanitas et umbra sunt; qui sapientissimi videntur, ii stultissimi; potest quidem alius alio beatior esse; nemo vero beatissimus *Med.* 1224; summa felicitas, quam fere nemo consequitur, ea est, si bonorum quam malorum maiore copia utamur *Hipp.* 471. Nil igitur mirandum est quod

(1) Multa huius modi collegit Stobaeus *tit.* 98 qui inscribitur: περὶ τοῦ βίου ὅτι βραχὺς καὶ εὐτελὴς καὶ φροντίδων ἀνάμεστος.

(2) Quanquam et Sophoclis nobilissimi versus exstant de hominum industria eorumque in belluis dominatione *Ant.* 332, *sqq.*

animus tam magna offensione ac tristitia affectus multo saepius quam alii poetae in has voces erumperet: O aetatem incertam ac laboriosam, cui mors finis sit *fr.* 907; mors inopinata invadit; quae hodie vigent et florent cras stellarum transvolantium ritu exstinguuntur *fr.* 961. Una est omnium condicio, patiendi ac moriendi *fr.* 733. Nonne melius est non esse quam male vivere? *fr.* 599. Equidem credo non nasci omnibus rebus praestare (1); tres enim sunt mortalium sortes: opulentia, nobilitas, inopia. Si quis divitiis affluens nobilitate generis caret, miser est, ac multo miserior si divitias amiserit; nobiles autem sine opibus aeque sunt miseri, quod sordidas artes ad quotidianum quaestum necessarias aversantur. Qui neque nobilitate neque divitiis fruatur hoc est beatior, quod nunquam bona expertus sit *fr.* 287, et mutatis rebus fortunae acerbitatem non sentiat, sed adversa sorte familiariter usus crebris eius ictibus animum aequum praestet *Iph.* 1118. Ut opes et amplitudo generis, ita ne domus quidem et caritas domestica satis est ad beatam vitam. Cur igitur mulieres cum dolore partus edunt? Mali enim liberi perpetua fletus materies, boni anxietatis; quam ob rem solos pati praestat *fr.* 900. Ideoque gravius est taedium vitae, quod genus hominum iniustum et nequitiae sua praemia sunt *Hel* 1213, *fr.* 295 (quare nihil utilius prudenti diffidentia *Hel.* 1617); quod arbitrio ac temeritate fortunae bona ac mala assignantur et quem ad modum aër aestate sudus hieme nubilus est, ita alii serenam alii aerumnosam aetatem agunt *fr.* 332, 207. Itaque

Nos decebat coetus celebrantis domum
Lugere ubi esset aliquis in lucem editus
Humanae vitae varia reputantis mala.
At qui labores morte finisset gravis
Hunc omni amicos laude et laetitia exsequi (2).

Quibus rebus conficitur ne de mortuis quidem fuisse Euripidi certam et constantem sententiam, sed in eadem qua eius aequales obscuritate versatum esse. Etenim modo velut praesagientis animi anticipationem quandam alterius vitae deprehendimus ad bona ac mala iuste compensanda *Alc.* 744; modo vita illa obscura, afflicta, omnis voluptatis expers esse videtur *Or.* 1084, et optat nullam esse, nam si huius similis futura sit, quid remedii aerumnarum esset in morte? *Heracl.* 591. Alias negat quidquam esse post obitum ac suadet ne multis lacrimis propinquorum mortem lugeamus, qui nulli sint *Alc.* 381; unam, quam affectare possimus, immortalitatem industriae atque virtutis; improborum vero cum morte omnia exstingui *fr.* 734. Loco quodam Helenae 1013 ait mortuos

(1) Optimum esse non nasci, ubi vero natus fueris quam celerrime vita discedere iam Theognides dixerat *v.* 425 (Bergk); iisdem fere verbis usus Sophocles *O. C.* 1224. Mortem miseris optandam ait *Ai.* 473, *El.* 34.

(2) Haec ex Eurip. *Chresphonte fr.* 452, convertit M. Cicero *Tusc.* 1, 48 atque ait fabellam quandam de Sileno adferri, qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribatur.

non esse amplius per se nec sui conscientiam servare, sed in aetherem immortalem abire et cum eo commixtos immortali sensu frui (1). Est quando mortem remedium esse malorum iis verbis praedicet, ut dubites utrum animum cum corpore exstingui affirmet an adumbratam quandam doctrinae christianae praesensionem deprehendendam putes. Scitisne inquit, an quae vita appellatur mors sit, mors autem vita? Certe qui vivunt miseri cruciantur, mortui omnis doloris expertes sunt *fr.* 639, 830. *Troad.* 636. Est profecto aliquid hac vita praestantius, quam diligimus propterea, quod ignoramus quid apud inferos futurum sit *Hipp.* 189.

Verum non omnes vitae partes paribus malis affliguntur. Etenim pueritia nullo infortunio perturbatur nec dolere solet *Med.* 48; pulcherrima adolescentia tum dives tum inops, quae ne asiatici quidem imperii opibus permutanda sit *H. F.* 643. Si qua esset diis hominum prudentia duplicem bonis adolescentiam concederent, qua nota bonos et malos dignosci liceret *ib.* 655. Senectus vero quam multis incommodis circumsaepta est! *fr.* 638. Una rerum experientia iuventuti praestat *fr.* 622, donec mens firma et imperturbata manet; at quid seni pristini ardoris superest, quid virium, quibus olim adversus hostes pugnavit et certaminum palmas abstulit? Vox et umbra senex est *fr.* 512, saepe umbra somniorum similis, quae cogitare credat, cerebro autem careat *fr.* 25. Stultus est qui ad innumeras eius aetatis molestias pervenire cupit *fr.* 579; atqui nemo non eo pervenire cupit; dic, age, quarumne voluptatum spe allecti? certo scias fore ut, quum eo perveneris, te misere poeniteat; nil enim homini deterius esse potest *fr.* 1065 (2).

Rerum humanarum mobilitas communis poetarum locus fuit, praecipue tragicorum, quibus regum ac potentium hominum casus afflictaeque fortunae materiem fabularum praebebant (3). At maxime omnium Euripidi, cuius sententia modo dii beatorum sortem necopinato pervertunt *fr.* 540, aliquando res prosperas adversis commutant *Andr.* 851, *fr.* 275, et scripto facilius omnia vitae ornamenta delent *fr.* 621; modo Fortuna, si quidem dea est, perpetuam eorumdem hominum societatem pertaesa, mobilis et varia eos deserit *fr.* 1058. Quibus locis inter se comparatis frustra quaeras cui potissimum Euripides rerum mutationes tribuerit, utrum certo ac provido deorum consilio an fortuitorum eventuum temeritati (4). Itaque modo providentiae deorum confisus recreatur, modo varietate atque incon-

(1) Eum locum Dindorfius, nescio qua re adductus, Euripidi abiudicat. Mihi vero Anaxagorae doctrinam videtur redolere, qui semina omnium rerum in aethere collocabat et cum iis verbis convenire, quae sunt *fr.* 836: *χωρεῖ δ᾽ ὀπίσω τὰ μὲν ἐκ γαίας φύντ᾽ εἰς γαῖαν, τὰ δ᾽ ἀπ᾽ αἰθερίου βλαστόντα γονῆς εἰς οὐράνιον πάλιν ἦλθε πόλον, θνήσκει δ᾽ οὐδὲν τῶν γιγνομένων, διακρινόμενον δ᾽ ἄλλο πρὸς ἄλλον μορφὴν ἑτέραν ἐπέδειξεν.*

(2) Senectutis imbecillitatem cum pueritia comparat Aesch. *Agam.* 76, cautionem laudat 584; incommoda memorat Sophocl. *O. C.* 1211, 1235, una cum levitate iuventutis, 1231; corpora aetatate laboribusque confecta cum umbra fumi comparat *Phil.* 945, ibique *et O. C.* 110 *εἴδωλα* appellat.

(3) Haec inter multa memorasse satis fuerit: Aesch. *Ag.* 1327; Soph. *Ai.* 125, *fr.* 16, *O. R.* 1155 *O. C.* 566, 608, *Trach.* 943; Pindari nobile illud est *σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος* *Pyth.* 8, 95.

(4) Aeque obscura res est ap. Horat. *carm.* 1, 34 « valet ima summis mutare... deus... hinc apicem rapax Fortuna sustulit, cet. »

stantia rerum exanimatur *Hipp.* 1102: etenim sors furentium ritu exsultat, ac si quis sua bona manentia crediderit, rebus mutatis lugeat *Hipp.* 981. Nil insperatum accidit; omnia exspectemus oportet *fr.* 761. Summa cadunt *Or.* 340, nec bona fama nec res prosperae quenquam ab infortunio tutantur; omnia corrumpunt ac perturbant dii, quos inscite veneramur *Hec.* 956. Hic hodie praeceps ruit, ille, antea perculsus, resurgit *fr.* 264. Omnia igitur incerta, omnia obscura sunt; ventorum flatibus sors et vita iactantur *fr.* 152. Quem ad modum venti per medios fluctus naves impellentes ad portum dirigunt, ita miseri ad meliorem sortem tempore adducuntur, beati ad perniciem *fr.* 306. Itaque nemo ad extremum diem beatus *Suppl.* 270, nemo ea condicione natus est, ut sine dolore totam aetatem ducat *Iph. A.* 161. Quare nolite quenquam ante obitum beatum vocare *Andr.* 100, *Troad.* 508, ac si quis in his tenebris sine aerumna sit, eam demum felicitatem ducite *fr.* 196. Ea est condicio vitae mortalis, cuius immutandae nulli facultas sit; nihil enim contra necessitatem valet, qua hominum res continentur *fr.* 301. Quorum mentes gravioribus literis excultae sunt, iis nihil firmius, nihil insuperabilius necessitate repertum est *Alc.* 962; cuius in factis dei cuiusdam vestigium inest *fr.* 151, quare ingenitis et coelo demissis malis nihil remedii adhiberi potest *fr.* 447, neque maledictis vel exsecrationibus necessaria mutantur *H. F.* 309.

Quod quum persuasum haberet, haud raro patientiam suadet. Quoniam infortunia effugere non licet, sapientis est cedere necessitati et quidquid fortuna fert aequo animo accipere *fr.* 37, 507, 956, *Phoen.* 1763. Nec vis adhibenda invitis diis; etenim qui cupit, quae habere nequeat, et ea, quae habeat, perdit *fr.* 1061, 1062. In hac futurae sortis obscuritate nihil attinet labores ac molestias suscipere *fr.* 395; nulla sapientia est, quae fatum effugiat *Her.* 608. Non alio igitur pacto minus miseri erimus, quam si adversae fortunae ictus tranquillo animo toleraverimus, recordantes eam esse condicionem humani generis, ut calamitatibus affligatur *fr.* 422, 175. *Hipp.* 175. Alieni quoque mali conspectu ad nostra ferenda confirmabimur *fr.* 336, quorum maxima pars naturae consentanea est, ac omnium prima mors *Andr.* 1270.

Mortalis nemo est quem non attingat dolor
Morbusque. Multis sunt humandi liberi,
Rursum creandi; mors est finita omnibus
Quae generi humano angorem nequicquam adferunt.
Reddenda terrae est terra, tum vita omnibus
Metenda, ut fruges; sic iubet necessitas (1).

Ad bene vivendum optime praecipitur ut prosperas et adversas res moderate sentiamus *Iph. A.* 920, ne quis fortunae bonis gestiat neve malis animum demittat, sed rebus mutatis sese invictum praestet suamque naturam velut aurum

(1) Hos versus in latinum transtulit M. Cicero, *Tusc.* 4, 25, 59.

in igne conservet *fr.* 100, 413, 955, 735, *Hec.* 282. Recti quoque honestique cultus plurimum valet ad omnia leniter ferenda *fr.* 576. Facilius quidem haec suademus quam sequimur quum animus doleat, quem ad modum exteriorem sortem quam interiores casus facilius deprehendimus ac multi sunt aliis, non sibi sapientes; at fractus animus nonne gravius conflictetur? *fr.* 45, 103, 897, 1029, 1078; *cfr.* 576. Neque rebus atque eventibus succensendum, quae surda sunt, sed prudenter instituenda atque ordinanda *fr.* 289; res enim non eadem sunt prope, quae procul videantur *Ion.* 585. Quae inepte ac subito impetu perfecta sint auctoribus detrimento evadunt *fr.* 266, 1019. Virtute sunt animi confirmandi; virtus neque pecuniae neque nobilitati neque illecebris obnoxia, quo magis adhibeatur eo maiores vires sumit ac serius ocius sua praemia consequitur *fr.* 449, 546, 1016. Virtus autem prudentia, viribus potiore, continetur *fr.* 397, 199, 220; vires sine consilio saepe nocent *fr.* 732; cfr. *fr.* 259. Sapientia vel cum ignotis nos amicitia coniungit; sapientium societas divitiis anteponenda est *fr.* 5, 894. Hic nemo est quin intellegat Stoicorum praecepta praenuntiari, quorum ea summa fuit, ut contemtis omnibus bonis, quae essent in arbitrio fortunae, ea quaererentur, quae in omni vitae condicione manerent, sapientia ac virtus; mala autem habenda quae ad animum pertinerent, nec quisquam corporis vel fortunae incommodis commoveretur (1).

In magno et constanti animo, non in morte voluntaria malorum remedium esse quaerendum Euripides identidem praedicavit. Fortissimi quoque viri ad id consilium allici possunt, ut momento temporis omnibus malis finem imponant. Hercules ipse parumper animo agitat an sibi manus inferat. Verum mox timet ne ignaviae arguatur; etenim qui omnes casus perferre non valeat, is ne tela quidem hostium sustineat; quare statuit mortem sibi fortiter exspectandam *H. F.* 1348. Mors et vulgi communis est; at mala, aeque communia, fortiter tolerare sapientis est *fr.* 47. Neque affirmare decet, quoniam homines doloribus angantur, opus esse ex rupibus se deiicere vel suspendio vitam finire *fr.* 1055. Vehementis aerumnae solatium magis naturae conveniens afferunt lacrimae et questus *fr.* 577 ac temporis decursus *fr.* 45, interdum audacia *fr.* 304. Neque animi exulcerandi sunt veterum malorum assidua recordatione *fr.* 44, ac illud cogitandum, non esse vitam vitalem eorum, qui in aegritudine perpetuo versentur *Alc.* 801. Ex ipsa rerum humanarum varietate levatio quaedam doloris petenda est, saepius enim ex dolore gaudium, ex malis bona gignuntur *fr.* 174. Sapientium verba optima aegritudinis medicina *fr.* 1064. Plurimae arrident spes, quarum alterae prospere evadunt, alterae evanescunt; si cui in diem vita beata sit, eum felicem puto *Bacch.* 907. Fuge magna, quo incommoda vites *fr.* 80. Brevis quidem vita est; qui magna affectant, ne praesentia quidem sibi parant *Bacch.* 396.

Tametsi multis dubitationibus de mortuis tenebatur atque adeo semel affirmat

(1) Contra ea est *fr.* 19 *τί δ' αἰσχρὸν ἂν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ*; quo summa sophistarum ratio continetur. At quis scit an Euripides haec suo nomine scripserit?

insanientium esse eorum caussa inanes sumtus facere *fr.* 641, tamen pietas erga mortuos ita est cum omni humanitate coniuncta, ut Euripides in hac parte a religione patrioque more non deflexerit. Pium est iustis non fraudari vita defunctos *Hel.* 1277; iustis enim infernus colitur deus *Phoen.* 1320, quocum forsitan mortuorum animi permiscentur; videntur enim divina quadam vi praediti. Magnum officium est mortuos humandi, quo neglecto, non modo privati ac civitates, sed universa laeditur Graecia. Fortissimus quisque ignavus fieret si propagatus fuerit mos cadavera inhumata abiiciendi *Suppl.* 537.

Habes, lector, quae Euripides de hominum vita senserit. Quae et nostra aetate quam valeant ad animos adolescentium fractos ac enervatos ad desidiam aut ad voluptates convertendos, nemo est quin sciat. Verum sive vividior erat animus poetae, quam cuius impetus atque ardor ulla rerum desperatione restingueretur, sive ea fuit aetas, qua omnes homines ad alacritatem incenderentur, Euripides felici quadam inconstantia praedicat mortales, ad industriam ac sollertiam natos, non aliter quam labore atque opera aliquid boni consequi et magna perficere posse. Bona enim immenso labore gignuntur *fr.* 238, nec rerum peritus est qui putet exigua opera magna comparari *Or.* 694. Sine labore nec regna nec magnae domus conduntur *fr.* 430 *a*, nec fama acquiritur *fr.* 719, labor enim gloriae pater est *fr.* 477. Nemo desidiosus gloria claruit, nemo ignavus magna affectavit *fr.* 142. Industria optima ratio est fortuna prospera utendi *fr.* 235: aetas enim nostra inter labores progreditur *Her.* 625 et hominibus industriis deus succurrit *fr.* 435. Desidia ac mollitie nihil boni efficitur *fr.* 366 nec bona existimatio luxuria comparatur *fr.* 210, quae nec domus nec civitates iuvat *fr.* 241. Boni audacter labores suscipiunt; ignavi nihili sunt *Iph. T.* 114, *fr.* 826. Eo magis quidem errat, quo plura quis agit *fr.* 580, sed quamvis res ex eventu iudicari soleant, et adverso exitu et in ipso interitu virtus patefieri potest *fr.* 11, *Hipp.* 700.

Quanti quisque sit factis intelligitur; si quis opibus ornatus nihil pulcri suscipiat, non beatus sed felix divitiarum custos appellandus est *fr.* 198. Qui rei familiaris curam neglegat cantumque colat, inutilis fiat domui, amicis, civitati; indoles enim voluptatibus corrumpitur *fr.* 187. Omitte igitur cantus, mihi crede, agros gregesque cura eaque oblectamenta contemne, quibus domum vacuam reperias *fr.* 188. Fac aetatem utiliter consumas atque ubi opus fuerit, fortiter pugnes; iis quoque moriendum est, qui procul laboribus domi maneant *fr.* 10. Telo interfici horrendum quidem est, sed gloriosum; non mori ignavum, quamvis iucundum, *fr.* 480. In primis adolescentes ad industriam et sedulitatem incitantur. Turpe est iuvenes a sollertia abhorrere, neque sine labore ulla est beata vita *fr.* 464. Nullus labor vitandus est adolescentibus; qui audaces sint oportet atque industria firmam et omni virtute ornatam virilitatem adipiscantur *fr.* 239, *Iph. T.* 121. Juvenum Martem fugientium caro et crines, non facta supersunt, neque gloria ulla est sine virtute ac periculis *fr.* 1039. Adolescentuli non feminis sed telis armisque delectentur *fr.* 896. Optimae cuique rei a pueris assuescen-

dum est; virtus quoque ac fortitudo ut sermo discuntur. Caveant adolescentes a flagitiis ac societate improborum; etenim qui recte educati sint et in posterum incorrupti manent; si quis iuvenis erraverit, semper peccat *fr.* 920, *Suppl.* 913, *fr.* 612, 809. Adolescens desidia delectatus, neglectis Musis, in posterum tanquam mortuus est *fr.* 927. — Quibus adhortationibus non repugnat locus ille, ubi ait desipere qui, quum possit otiose vivere, nulla necessitate cogente, multis negotiis occupatus vivat *fr.* 193; etenim hic non illam quidem interpretamur industriam optimarum rerum effectricem, sed curam hominis id spectantis, ut cupiditatibus ac libidinibus satisfaciat. Neque otiosa aetas desidiosa est; Euripides ipse magnum documentum praebuit umbratilis et eiusdem actuosae aetatis.

CAPUT III. DE REPUBLICA.

Rerum novarum studium, quo Euripides in rebus divinis ceterisque vitae partibus incensus est, aliquanto moderatius apparet in iis, quae sunt de re publica et de hominum societate. Non minima laus est graecarum literarum quod in rebus civilibus modestia quadam usae sint neque unquam perversas rei publicae constituendae rationes propagaverint nec factionum cupiditatibus ac libidinibus inservierint. Quod maximam partem gentis illius ingenio tribuendum arbitror; nulla enim tam insitum gessit atque a natura ipsa tributum illud « est modus in rebus » cfr. *Hipp.* 263; quare tum in monumentis literarum tum in aliis artibus nulla tam vehemens animorum perturbatio exprimitur, quae modum excedat. Modo non omnes scriptores, quorum multi in re publica versati sunt, iis partibus favebant quae leges atque instituta maiorum tueri ac servare conabantur. Sed Euripides complexus est ille quidem alia ac tum vigebant, verum non ita, ut omnia antiqua abolenda censeret, sed corrupta sanari et civitatis rationem etiam tum inchoatam et moribus constrictam enucleari et latius patere vellet. Itaque quum apud veteres iura civitatis hominum ortu civiumque ordine ita continerentur, ut civili condicione sublata nil humani iuris ac libertatis reliquum esset, Euripides eo progressus est, ut quum ei, quae inter homines intercedit, societati, tum singulis non eo quod cives sed quod homines essent propria iura constituenda eorumque condicionem non ortu vel ordinum gradu sed humana natura finienda censeret. Nec tamen ideo, quod privatorum libertatem a civili quadam servitute vindicaverit, vincula pietatis et caritatis erga patriam dissolvit neque officia civium repudiavit, ut universam ac mundanam quandam rerum humanarum rationem omni amore, studio, instituto orbatam sequeretur. In quo Euripidis sententia haud recte cum sophistis conlata est, qui omnia antiquitatis iudicia repudiantes et hominum quenque omnium rerum mensuram constituentes, divinas humanasque res ita permiscebant ut, maiorum disciplina omnibusque officiis sublatis, nihil superesset, quod homines agendo vel cogitando sequerentur. Sed quoniam in tam magna rerum perturbatione qui novis

rebus studebant sine ullo discrimine in invidia fuerunt et in homines summi incorruptique ingenii, ut Anaxagoram et Socratem, saevitum est, decet eorum laudes praedicare, qui novis temporibus firmas quasdam rationes subiicere conati sunt.

Ea enim fuit antiqua civitas, cui domus, propinqui, res denique omnes privatorum postpositae essent. Ne Athenis quidem, quanquam privatorum civium libertas nusquam latius patuit, commutata sunt fundamenta civitatis, unde omnia iura manabant. Et quoniam civitates angustis plerunque finibus continebantur, cives maiore et caritate et utilitate suae quisque patriae devincti erant. Praeterea veteribus institutis rei publicae ea fuerat cum rebus divinis perpetua societas ut eorum auctoritas pietate quadam et sanctitate confirmaretur. Quam ob rem caritas erga patriam in animis Graecorum penitus inhaerebat, cuius pulcherrima documenta iam apud Homerum reperiuntur (1). Eadem ex Euripidis verbis pia ac vehemens elucet; ei enim patria omnium rerum dilectissima *fr.* 6, quibuslibet divitiis portior est *fr.* 10, 33. Flagitiosum est alias civitates extollere, suam deprimere *fr.* 349. Eius caritatis vis verbis explanari non potest *Phoen.* 406; ea, adversante fortuna, dulce malorum solatium superest *fr.* 814 ac tum maxime sollicitat, si quis patriam relinquere conatus sit. Exsilii incommoda praeclaris ac miserabilibus verbis describuntur. Omnium maximus dolor est patria carere *fr.* 30, *Phoen.* 389, *El.* 1314, *Med.* 643, 650, ad quam omnes spes exsulum convertuntur *Med.* 328. Nil acerbius cogitari potest quam extra patriae fines humatum iri; quare Polynices moriens matrem precatur ut sibi patrio in sepulcro quiescere liceat *Phoen.* 1447; Rhesi auriga misere exclamat: o patria tellus, quam vellem in tuo sinu vita discedere *Rhes.* 869. Civi autem atheniensi id est maximum amissae patriae detrimentum, quod facultate libere loquendi privatus, a quibus exceptus fuerit, eorum ineptiis obsequi cogatur et servorum ritu suae naturae vim inferre, quo utilitati inserviat (2). Praeterea multarum rerum spes exsulibus blanditur, quam non dimittunt etiamsi inanem deprehenderint *Phoen.* 390. Est quidem ubi patriae caritatis oblitus sese totius mundi civem professus esse videatur, v. g. patria est quaecunque terra te alit *fr.* 774; omnem aërem transvolant aves, omnis terra hominibus praestantibus patria est *fr.* 1034. Verum haec perrara ac personarum animis accommodata poetae ipsi tribuenda non arbitror (3), ac multo plura sunt, ubi cives vel privata utilitate vel factionum studiis distractos officiorum erga patriam admoneat. Augebatur enim numerus eorum, qui utiles sibi,

(1) Vide in primis *Od.* ι 27-36, ubi Ulixes opibus, divitiis, Calipsus amori et Circes illecebris patriam ac parentes anteponit. V. et Soph. *O. C.* 719.

(2) Scimus ἰσηγορίαν et παρρησίαν ita consentaneas fuisse moribus Atheniensium, ut peregrini ac servi modo non pari cum civibus orationis iure uterentur. Demosth. *Phil.* 3, 3 ait tantam fuisse servis licentiam loquendi, quanta non ipsis civibus aliarum civitatum.

(3) Haec saepius repetuntur a posterioribus. Euripidem imitatus est Ovid, *Fast.* 1, 493: « omne solum forti patria ut piscibus aequor, ut volucri vacuo quidquid in orbe patet ». Ubi bene ibi patria tritum fuit sermone proverbium. Cfr. Horat. *carm.* 1, 7, ubi Teucrum, Salamina eiectum, loquentem facit.

inutiles patriae, ad iuvandum segnes, ad nocendum parati essent *fr.* 879. Eum, qui patriam diligat, decet tum re tum verbis eius saluti consulere *fr.* 729, *Phoen.* 900, legibus parere *fr.* 487, quidquid boni sibi comparare potest ad communem usum convertere; ita civitates beatiores sint *Phoen.* 1015. Eum decet aequo animo privatas iniurias tolerare atque indignationem patriae condonare *Supp.* 555, 878; etenim impiae sunt partae ex patria victoriae, nec diis gratias agere fas est *Phoen.* 571. Cuius animi magnitudinis, suas iniurias patriae caussa obliviscentis, eximium exemplar Philoctetem finxit *fr.* 796. Decorum est pro patria mori *fr.* 728, et Cassandra pulcherrimis versibus Troianorum Hectorisque virtutem extollit, qui patriam defendentes interierint *Troad.* 386. Hecuba immaturam nepotis mortem luget, qui si adultus pro patria periisset, beatus praedicandus fuisset *Troad.* 1168. Iphigenia, quae volens sese pro Graeciae salute devovet matremque hortatur ut id patienter ferat *Iph. A.* 1368, Praxithea, quae filiam oraculo flagitatam morti obfert, quo Athenas ab Eumolpo servet *fr.* 372 documento sunt quantum patientiae et magnitudinis amor patriae in ipsos mulierum animos iniiceret.

Complures Atticorum scriptores patriae suae opibus, magnitudine, sapientia, amoenitate gloriantur. Aeschylus quidem indomitam virtutem ac libertatem extollit *Pers.* 242, 348; Sophocles iustitiam, pietatem, hospitii fidem *O. C.* 913, 260, 1006; Pericles apud *Thucyd.* 2, 41 Athenas Graeciae disciplinam appellat, Plato *Prot.* 337 *D*, literarum prytaneum; Aristophanes *Eq.* 586 poetas laudat. Exteri quoque scriptores Athenas sapientiae sedem praedicabant, ut Herodotus 1, 60. Nemo vero tam vehementi patriae amore flagrasse videtur, quam Euripides, qui nunquam Athenas memorat, quin felices, fertiles, pulcras appellet; purum mitemque aerem laudat, floribus vestitos agros, Veneris et Musarum sedem *Med.* 824, *Rhes.* 941 (1) olearumque ornamentum, opus Minervae *Troad.* 801. Vulgatam laudem repetit, atticam gentem non extrinsecus immigrasse sed ex ipsa tellure natam *Ion.* 589 ab omni peregrina mixtura incorruptam manere *fr.* 362. Quare Atheniensium caritas erga patriam multo maior et naturae conveniens esse videatur; homines, qui ex aliis regionibus immigraverint, nomine non re cives esse *fr.* 362. Sed multo maioribus laudibus quam coeli temperies et amoenitas situs, pietas, fides, humani cultique mores efferuntur, quibus et aliarum gentium immanitas mollita sit. Athenae iustitiam nunquam non coluerunt ac miseros tutatae sunt *Suppl.* 379, nee modo oppressos homines defenderunt, sed etiam amicorum caussa innumeros labores susceperunt *Heracl.* 329. Quum Eurystheus ad Demophontem Athenarum regem misisset qui ab eo peterent ut Herculis liberos sibi traderet, bellum minitans si recusasset, Iolaus eorum custos sese Athenis totum committit certa salutis spe adductus; quis enim Athenas liberam civitatem esse crederet, si miseros pueros crudelissimis hostibus tradidisset? *Heracl.* 61, 197. Eadem sententia loquitur

(1) Cfr. Schenkl. *l. l. c.* 5. Verisimile est haec imitatum esse Sophoclem pulcherrimo choro *O. C.* 668, quo Colonus describitur.

Demophon v. 243 (1). Quae animorum mansuetudo quam antiqua sit, documento est Areopagus, ad quem Dioscuri Orestem mittunt. Ab Areopago humanum illud constitutum est, ut paribus sententiis rei dimitterentur *El.* 1258 (2), et si quis hominis caede respersus esset, exsilio multaretur, effugiens oculos civium et eorum, quibus iniuriam intulisset, nec tamen ipse interficeretur, nam et ei, qui ipsi vim intulisset, par poena esset luenda, neque ullus esset caedium finis *Or.* 502 (3). Praeterea Athenae captum hostem interfici vetant, quamvis iusta ira incensus sis *Heracl.* 966. Nec sine caussa Euripides veteris humanitatis admonebat cives eamque laudem patriae servare conabatur. Etenim bello peloponnesiaco animi ea immanitate efferati erant, ut quae pietas ac necessitudo inter graecas gentes antiquitus intercessisset iam dissoluta videretur (4). Itaque Theseum fidei, pietatis gratique animi exemplar proponit in Hercule Furente, quae fabula a. 416 acta est, et in Supplicibus a. 419 actis eum Creonti bellum inferentem facit, quod Thebani victoria elati septem apud Thebas interfectos tradere recusabant. Qui quum hostes superavisset ne Thebas quidem ingressus est, sed corporibus humatis contentus fuit, ut communes Graecorum leges observarentur, *v.* 671.

Praeter iustitiam et humanitatem virtus et liberalis Atheniensium audacia ab Euripide celebrantur, qui tranquillo ac securo otio certamina et pericula anteponant. Itaque excelsis animis et arduis inceptis opes eorum augentur. Timidas obscurique otii sollicitas civitates nulla gloria sequitur *Suppl.* 321. Ateniensium civitatis praestantes alumni sunt *H. F.* 1405, qui eius magnitudine elati magnos sibi spiritus sumunt et ubique coluntur et observantur; potentis enim patriae cives apud exteras gentes admirationi, debilis despicatui sunt, *fr.* 795 (5). Ingentia quidem incommoda Athenae perpessae sunt; verum id ipsum indicium

(1) Eadem fere apud Soph *O. C.* 879.

(2) Cfr. Aesch. *Eum.* praecip. *v.* 725.

(3) Cfr. Soph. *El.* 577 ubi Electra quaerit a Clytaemnestra, quanam lege Agamemnoni eius opera intereundum esset, etiam si Iphigeniam interfecisset; caveret ne ea lex ipsi quoque perniciosa foret.

(4) Anno 427 a. Ch. n. Athenienses, quum a sociis poenas expetitae libertatis sumere vellent, omnes nobiles Mytilenaeos capite damnaverunt et parum abfuit ut, auctore Cleone, omnis aetas militaris interficeretur, reliqua multitudo veniret. A. 425, conniventibus ducibus classis Atheniensium, horrida caedes nobilium Corcyraeorum perpetrata est eorumque uxores venierunt. A. 427 Plataeis captis, ducenti cives et viginti quinque Athenienses, qui urbem strenue defenderant, crudeli feritate a Lacedaemoniis deinceps iugulati, mulieres in servitutem redactae sunt ac paullo post ipsa urbs deleta. Quod ut Athenienses ulciscerentur a. 424 Aeginetas necaverunt, quos classe ad Thyream oppresserant. Eodem anno nobiles Megarenses rerum potiti centum cives condemnaverunt, qui rebus Atheniensium studebant. Boeoti autem Atheniensium apud Delium superatorum septemdecim dies corpora inhumata reliquerunt, donec ceteri Delium reliquissent. Hic primum cadaverum humandorum condiciones allatae memorantur. A. 416 capta Melo, quae ita se defenderat, ut Meli fames in proverbii consuetudinem veniret, captivos omnes, qui arma ferre poterant, Athenienses interfecerunt, reliquos vendiderunt. Iam vita cesserat Euripides quum post cladem apud Aegos flumen a. 405 Lysander cum sociis per iudicii speciem omnes Atheniensium captivos necavit et corpora inhumata proiecit.

(5) Tametsi Athenienses in exteris civitatibus προξένοις utebantur, qui suis rebus tutelae essent, tamen plerunque nomen Atheniense satis erat ad iniurias ac lites vitandas. Cfr. Ulrich *de proxenia Berol.* 1825 *et* Boeckh *Staatshaushaltung der Athener I, p.* 55, *II, p.* 78.

est magnitudinis; magna enim magnis calamitatibus plectuntur *fr.* 81. Hoc solatio utitur poeta eorum malorum, quibus Athenae bello peloponnesiaco conflictabantur; cuius exitum fidenti animo exspectans victoriam in Supplicibus praenuntiavit. Etenim Minerva Athenas tuetur eiusque salutis ita est sollicita, ut Adrastum eorumque filios, qui ad Thebas cecidissent, iureiurando adigat, nunquam fore ut arma contra Athenas vel ipsi ferrent vel alios movere paterentur *Suppl.* 1191, *Heracl.* 352.

Ex iis, quae pertinent ad rem publicam constituendam, tum innata animi libertas, tum sapientia nunquam modum excedens elucere videntur. Quum post Persarum bellum leges Solonis etiam tum vigerent, quibus honores ditioribus patebant, non modo pauperes laedebantur, qui mirum quantum ad patriam liberandam contulerant, verum etiam complures optimatium, quibus ad egestatem pro patria redactis, civilia quoque iura, pretiosissima maiorum hereditas, imminuebantur. Praeterea divitiae moventium rerum ita auctae fuerant, ut aliqua earum in civitate habenda esset ratio. Itaque sensit Aristides antiquas leges esse immutandas et a. 478 auctor fuit ut omnibus civibus civilia iura tribuerentur. Quare nobilibus, qui agros possidebant, extremum ius ereptum est ac perfecta libertas constituta. A. 480 natus est Euripides, quo puero et adolescente popularis imperii rationes latius patuerunt et confirmatae sunt. Areopagus unus superioris aetatis magistratus supererat, cui nulla esset ratio reddenda. At quum Euripides duos et viginti annos natus esset, in eum quoque invectus est Ephialtes, et ademta cura ac tutela morum, auctoritatem imminuit. Iis contentionibus, quibus utrinque strenue pugnatum est, ipsi poetae interfuerunt. Aeschylus quidem augustum institutum Minervae Eumenidarum fabula defendit. Quum et Pericles et Euripides Anaxagora magistro essent usi, verisimile est Euripidem Periclis rationes de re publica mature suscepisse eiusque partes sequutum esse. Nimirum per totam aetatem libertatis sobrie ac legitime progredientis studiosissimus fuit. Putabat enim Atheniensium rem publicam ex ipsa natura esse profectam, cuius universa lex aequitas sit. Ea lege dierum noctiumque descriptio, ea omnis mensura continetur, et quem ad modum in rebus naturae compensatio quaedam aequitate servatur, ita amicorum animi ac civitates concordia devinciuntur. Verum ubi iuris disparitas vigeat, minora maioribus adversantur, qua contentione invidiae et simultatis semina aluntur *Phoen.* 535. Aequitatis autem fundamentum est par loquendi facultas *Her.* 181. Saepius quidem Atheniensium scriptores libertatem inde ab origine urbis repetebant et gloriabantur quod soli ab Homero δῆμος appellati essent (1). Sed omnium maxime Euripides, qui recentia instituta ad originem civitatis refert atque oblitus domesticas seditiones et longum atque impeditum libertatis iter, Athenas iam regum aetate liberas fuisse fingit. Theseus auxilium rogatus ad corpora eorum recuperanda, qui ad Thebas ceciderant: quamnam, inquit, iustam belli caussam meis civibus afferam? *Suppl.* 247, et quum bellum

(1) *Il.* β 546. Cfr. Eustath. *ad h. l.* et Plutarch. *V. Tesei* 25.

gerere statuisset: ab Atheniensibus, inquit, id decerni cupio, quod profecto mea caussa facient; sed populo amico utar, si meis consiliis adsentientem fecero. Praeterea principatum constituens libertatem et aequum suffragii ius tribui *Suppl.* 349; *cfr.* 393, *Her.* 423. Praeconi thebano Atheniensium tyrannum quaerenti Theseus ipse respondit: falso coepisti, qui tyrannum quaesiveris; non enim ab uno viro Athenae reguntur, sed liberae sunt. Annuorum magistratuum vicibus populus imperitat; nil praecipuum divitibus conceditur, sed aequo iure cum pauperibus utuntur *Suppl.* 403.

Mortuo Pericle immoderata populi auctoritas corrumpitur. Gravibus tum incommodis Athenienses conflictabantur; ager enim ab hostibus identidem occupatus vastabatur, in urbe agricolis referta multa milia hominum morbo absumta, mercatura impedita, socii infidi atque adeo rebellantes, aerarium exhaustum, diuturni infelicisque belli exspectatio, foris hostes infesti, domi factionum turbae. Quantum ingenii, sollertiae, honestatis opus erat, ut ex tam multis difficultatibus libertas atque imperium civitatis servarentur! Quod perficiendum susceperant homines non nobilitate generis sed audacia et fraudibus evecti, qui in rebus gerendis non consilio sed temeritate, non patriae amore sed factionis studio et sua utilitate ducebantur, neque ingrata ac molesta populo dicere audebant sed vulgi cupiditatibus blandiebantur; qui ad bellum administrandum non militarem usum et auctoritatem rerum feliciter gestarum afferebant, sed invidiam iudiciorumque calumnias adversus eos, qui laude militari florerent. Quarum rerum caussae in moribus penitus commutatis quaerendae sunt. Euripides ipse ait eam civitatibus esse rem publicam, qua quaeque digna sit *H. F.* 272. Etenim bello ac pestilentia non modo innumeri cives perierunt, verum etiam mores ita corrupti sunt, ut animi a pietate erga patriam ac domum avocati, turpissimis cupiditatibus inservirent. Antea sollers ac frugi populus in agris aetatem ducebat, antiquarum rerum observantissimus, modestiae fideique studiosus; itaque ad necessitates patriae integras corporum et animorum vires adhibebat. Sed hostium incursionibus bellique difficultatibus agrestes urbanaeque res afflictae fuerant, et inops multitudo intra moenia clausa, sordida spernens artificia, victum a civitate flagitabat. Inde frugum ac pecuniae largitiones, munera rei publicae ex aerario repensa, commoda civitatis neglecta, magni Atheniensium civium spiritus restincti. Praeterea quum aut deletae aut iam corruptae essent antiquae domus, quae ipsis nominibus maiorum gloriae admonebant, egentium autem multitudo aucta, summa rerum ab iis regebatur, quibus cum plebecula eiusque moribus plurimum adfinitatis intercederet.

Ab ea re publica prorsus abhorrebat Euripides; qui quum superioribus annis libertati via ac ordine propagatae interfuisset, nobilitate et magnitudine Athenarum gloriatus, ex meditationibus autem philosophorum speciem quandam perfectam et absolutam civitatis animo complexus esset Socratemque multas partes rei publicae acerbissimis verbis improbantem audivisset, querebatur quod privatae utilitates publicis anteponerentur, quod populus amissa maiorum prudentia, industria, constantia, nonnunquam subito impetu incensus, deinde longa desidia marcesceret.

Pervulgata opinio est in Euripidis tragoediis non modo renovatae, verum etiam labantis corruptaeque rei publicae rationes contineri, quare *ὀχλοκρατίας ποιητὴν* appellavit Bernhardyus. Quod haud scio an verisimile videatur summam spectantibus eius philosophiae. At in re publica non eius fuit libertatis studiosus, ut multitudinis dominatui faveret; nam quum optimus quisque Graecorum innata modestia ab extremis consiliis retrahebatur, tum opinionum errores publicis rebus adhibiti omni spe celerius adversis eventibus patefiunt. Facile autem intelligebat homines audaces, ut res tum erant, non ad salutem rei publicae sed ad privata commoda plebis auxilio uti. Ait enim posse quidem multitudinem res civitatis bene administrare si ab optimis civibus regatur; ipsam vero immensum esse malum, praesertim si improbis pareat *Iph. A.* 1357, *Or.* 773. Nolit autem multitudinem nimium timere qui rei publicae praefectus sit, sed legum sanctitatem et magistratuum obsequium impavidus tutetur, quod optimae rei publicae fundamentum sit *Bacch.* 890, *Suppl.* 312, *fr.* 343. Vitia civitatis tam perspicue recenset, ut eius non fautor sed adversarius fuisse videatur. Discordiis ac seditionibus corrumpitur civitas ac pessimae dominationes gignuntur *H. F.* 272. Improborum opibus non paucis sui ostendendi facultas eripitur *fr.* 738; alii egregia facinora suscipiunt, deinde abiiciunt, aliquando sua inertia, saepius civium stultitia *Iph. A.* 366. Praecipua corruptae civitatis facultas ea est, ut ubique noxas reperire studeat *fr.* 269.

Quid Euripides senserit de moribus civitatis maxime perspicuum est ex iis, quae sunt de oratoribus arte dicendi impudenter abutentibus. In quo haud videtur profecto disciplina usus Protagorae et Prodici, qui omnem doctrinam de publicis privatisque moribus propria vi exspoliatam ad eloquentiam referebant. Quo dicendi genere usi fuerint populi ductores nemo ignorat, qui atticorum oratorum et Aristophanis scripta noverit. Hic satis fuerit verba Sexti Empirici referre Ἀντιρρ. II. 41: *ὁ δημαγωγὸς κακοδιδασκαλεῖ τοὺς πολλοὺς τὰ κεχαρισμένα λέγων καὶ διαβολαῖς αὐτοὺς ἐξαλλοτριοῖ πρὸς τοὺς ἀρίστους* (1). Euripides quidem sese haud parum versatum esse in arte dicendi, qua eo tempore hominum ingenia maxime conformabantur, non modo tragoediarum colore sed hisce quoque verbis declarat; « nil aliud quam oratio Suadelae sacrum eiusque templum in humana natura positum est *fr.* 170. Nihil armis efficitur quin verbis consequi possimus *Phoen.* 516. Quid tandem mortales, alias artes operose exercentes, suadelam, unam inter homines reginam, nec perfecte colimus nec mercede comparamus ut, quae quisque cupiat, persuadendo consequatur? qui speremus eos bene posthac acturos? *Hec.* 814.

Verum non id erat Euripidi eloquentiae studium, ut non intelligeret quantum afferret detrimenti ei civitati, quae eloquentia potissimum duceretur eamque maximis propositis praemiis aluisset (2). Itaque raro eloquentiam laudat, saepius eos vitu-

(1) De eloquentiae abusu in Attica republica optime disseruit Valckenarius *Diatr. c. XXIII* nec plura addere opus est. Cfr. praeterea Cic. *pro Flacco c.* 7 *et* Quintil. *Declam.* 268, *p.* 509. Eo profecto spectavit Soph. *Phil.* 98.

(2) Memoratu digna sunt quae Velleius Paterc. ait 1, 18: « una urbs attica pluribus *annis* eloquentiae quam universa Graecia operibus floruit, adeo ut corpora gentis illius separata (sint) in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes ».

perat, qui ad vera supprimenda, ad decipiendum, ad privatas utilitates fovendas eloquentia utebantur. Ait enim regii aliquid ac violenti in eloquentia inesse *fr.* 348; audaces, potentes, disertos, nisi sapientia ornati sint, malos esse cives *Bacch.* 270. Ingratum genus, qui apud populum eloquentiae honores sectamini! utinam vos ignorem! Non enim dubitatis civitati amicisque nocere, dummodo vulgi cupiditatibus blandiamini *Hec.* 254, *Suppl.* 412. Ornatis verbis domus urbesque delentur. Non ea dicere oportet, quae auribus grata sint, sed quae bonam famam afferant *Hipp.* 486, cfr. *fr.* 732; nec iusta tacenda *fr.* 1024, quanquam sunt qui falsa et iucunda veris ac molestis anteponant *fr.* 1023. Populi ductores egregie designantur *Hipp.* 989; qui apud sapientes flocci fiunt, ii optimi sunt oratores ad populum; et *Or.* 903 appellantur petulantes, audaces, inscite garruli, qui dicentes mala persuadeant. Hic sunt qui Cleonem adumbratum esse velint.

Non modo in foro sed etiam in iudiciis pessima erant eloquentiae exempla. Exstiterat enim fraudolentum rabularum genus, qui litium calumniis iura omnia miscebant et iniuriarum impunitatem comparabant. In quo Euripides magnum rei publicae periculum inesse ratus saepius ait oratorum artificia atque ambages falsa esse tegumenta iniuriarum, quae nihil per se validae externis adminiculis egeant. Simplex est oratio veritatis, neque iustitiae interpretationum subtilitas opus est *Phoen.* 469. Veritas optima est iusto homini *fr.* 92, qui nullo artificio verborum utitur *H. F.* 236. Improbus homo, magna facultate dicendi ornatus, summa tenetur noxa; etenim eloquentia fretus iniurias contegit et ad maleficia patranda ex ipsa eloquentia audaciam sumit *Med.* 580. Exsecrandi sunt pessimi homines, qui scelera molientes speciosis artificiis exornant *Ion.* 832 (1); alias miseri appellantur qui verborum venustate falsa involvant et quorum facta a verbis dissentiant *fr.* 587. De malis rebus ornate loqui miserum est ac perniciosum *Phoen.* 529. Itaque orationem simplicem ac sine ullo artificio commendat, quod dicendi facultas metuenda et noxia sit *fr.* 255. Magna sunt orationis pericula; possunt enim falsa proferri et verborum blanditiis vera superari, quum ad naturam et ius spectandum sit; ipse autem rebus credit, quae verbis potiores sint *fr.* 205. Saepius cives hortatur ut ad rerum naturam animos intendant, neve praestigiis verborum decipiantur, quae nihili prae rebus habenda sint *fr.* 98, 398, *Hec.* 1187. Iam vero dolet nullam in factis inesse vocem, ut irrita esset oratorum vis, qui veris tenebras obducant *fr.* 422. Alio loco monet multo plus firmitatis inesse in moribus vetustate corroboratis quam in legibus, quae eludantur. Non enim mores loquentibus detorquere licet; at leges ab oratoribus omnia commiscentibus atque implicantibus delentur *fr.* 600. Quanto rectius si verba atque orationes emi oporteret; eo enim pacto nemo vellet ornate dicere. Sed quoniam verba sine labore ac sine pecunia ex aëre captantur, nemo non delectatur quae sint et quae non sint gratuito dicere *fr.* 968.

(1) Similiter *Tucydides* 3, 67: (ἔργων) ἀγαθῶν μὲν ὄντων βραχεῖα ἡ ἀπαγγελία ἀρκεῖ, ἁμαρτανομένων δὲ λόγοι ἔπεσι κοσμηθέντες προκαλύμματα γίγνονται.

Hactenus de eloquentia populari ac forensi; sunt praeterea nonnulla memoratu digna, quae ad communem orationis usum pertineant. Ac primum, quod in proverbio erat, nec verba nec tela emissa redeunt *fr.* 1031. Multae lites inter mortales lingua seruntur; caveat sapiens ne iurgiis cum amicis contendat *Andr.* 642. Scelera et flagitia silentio obruere praestat *Troad.* 384. Honesta coram populo proferre honestum *Hipp.* 610. Interdum loqui, alias tacere melius est *Or.* 638. Stultorum est omnibus suam sortem patefacere *fr.* 557. Est quando falsa veris propiora sint; sed multa usu veniunt a veris abhorrentia *fr.* 400. Nulla linguae certa fides; valet quidem aliena reprehendere, ipsa vero multa sibi parit mala *Hipp.* 395. Verba verbis, facta factis rependuntur *fr.* 882. Sunt qui acerbe dicta per ridiculum iactent; vituperandi sunt qui lingua immoderate utantur *fr.* 495.

Quae hactenus attulimus satis ostendere videntur Euripidem Atheniensium rei publicae, quae tum erat, totis viribus adversatum esse. Alia vero reperiuntur, ubi popularis imperii integri ac modesti sese fautorem profitetur; v. g. *Or.* 773 metuendam ait esse multitudinem ubi ab improbis regatur; *ἀλλ'ὅταν χρηστοὺς λάβωσι, χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεί*, et *Suppl.* 238.

> *Τρεῖς μὲν πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι*
> *ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ'ἐρῶσ' ἀεί·*
> *οἱ δ'οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου*
> *δεινοί, νέμοντες τῷ φθόνῳ πλέον μέρος,*
> *ἐς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσιν κακά*
> *γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν φηλούμενοι·*
> *τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ 'ν μέσῳ σώζει πόλεις*
> *κόσμον φυλάσσουσ' ὅντιν' ἂν τάξῃ πόλις.*

Inde conficitur Euripidem extremas civitatis partes, nobilitatem et plebeculam, eodem animo repudiasse et salutem rei publicae in medio quodam civium ordine posuisse, qui nec luxuria diffluens nec necessitatibus fractus, modestia industria virtute reliquis praestans, rei publicae aequitatem servaret. Quo in genere fuerunt agrorum incolae ac possessores, integra et sollers multitudo, cuius mores incorrupti, pristina erga patriam et propinquos pietas. Eandem modestiam prae se fert Atreus filio etiam tum adolescentulo imperium tradens: « Noli, inquit, plebi summam potentiae et auctoritatis permittere neque eam vexare divitibus omnia tribuens. Noli eum expellere, in quo populus fidem collocaverit neque honoribus ac potentia nimium augere, ne ex cive tyrannus evadat. Si quis immerito attollitur, eum reprime; malorum enim hominum felicitas morbus est civitatis » *fr.* 628.

Fuerunt Athenis qui populari licentia perterriti libertatem extenuandam et Lacedaemoniorum legibus rem publicam constituendam censerent. Euripidi vitia et pericula popularis imperii non ignoranti, fides, quam libertati habebat, nun-

quam imminuta est. In *Supplicibus* thebanum praeconem et Theseum de re publica disputantes facit. Thebanus principatum defendit et argumentis socraticis vitia popularis licentiae exponit *v.* 409: demagogos verborum illecebris et blanditiis populi voluntates in suam utilitatem convertentes ac poenas patriae ab ipsis violatae effugientes; imperitam ac impotentem plebeculam, quae ad se regendum inepta rem publicam administrare velit; sed quotidianis necessitatibus distenta neque erudiri neque artem civitatis regendae sibi comparare queat. Ad ea Theseus respondit libertatem laudibus extollens et dominationis vitia dinumerans *v.* 426. Nullae hic leges, nulla aequitas, sed servitus et libido. Libertas pari iure omnes habet et luminna cuique animi consiliique ostendendi copiam facit. Magnis et fortibus viris populus gloriatur, quos tyrannus suspectos habet ac deprimit. Quisnam divitias cumulare, quisnam formosas et castas filias educare velit, quum omnia avaritiae et cupiditatibus tyranni praedae esse possint? Quare cui libero esse liceat servus fieri nullo pacto malit *fr.* 247. In malam crucem qui tyrannide vel paucorum dominatu delectentur; nil tanti est quanti libertatis nomen; si cui omnia desint, is nolit se inopem credere dum libertate fruatur *fr.* 277. Unius dominatus ipsa rerum natura iustitiae atque honestati repugnat. Qui ad alios opprimendos natus sit nec sentit iusta neque cupit; superbo autem animo ac suspicione a consuetudine amicorum et civitatis usu abalienatur *fr.* 429. Magnam sibi arrogatiam sumit nulla laude vel praestantia alios antecedens, et plerunque socordia atque ignavia civium regnat; qui si audaciam ac voluntates consociarent facile everterent *Andr.* 699. Haec autem graviora sunt, quod a Peleo, et ipso rege, proferuntur. Cupidissimo cuique honorum tyrannis summum gloriae fastigium obversatur animo; a quibus populus recte cavebit *fr.* 846, 252, 336, *Troad.* 1169. Tyrannidis enim eae sunt illecebrae, quibus homines cetera honesti ad iniurias ac scelera alliciantur *Phoen.* 524, *Iph. T.* 680 neque a cruentis certaminibus abhorreant *H. F.* 65. Verum quo interius tyrannorum animos introspexeris eo miseriores reperias. Etenim timore ad iniurias inferendas, ad amicos necandos vel perdendos adducuntur, ne a fidelium quidem sanguine temperant *Ion.* 621, *Hipp.* 1013, *fr.* 424, 608, eoque descendunt ut vulgo blandiantur, sociis ac ministris contemnendis utantur *Ioan.* 627, *Iph. A.* 336, 446, *Hec.* 868, *fr.* 171 (1). Et hic Euripides stoicorum decreta praenuntiat, qui in tranquillitate animi nullis cupiditatibus commoti atque in recta conscientia beatam vitam positam esse censebant. Negat enim animos terroribus perturbatos ex potentiae splendore quidquam iucundi percipere. Quanto beatior plebeius homo, qui nec bonos amicos timere nec malis blandiri cogatur! Possunt quidem aurum et luxuriosi apparatus vulgus admiratione percutere ac miseriam obtegere; verum

(1) Ceteri quoque tragici de tyranno non dissimilia dixerunt. Aesch. *Prom.* 224 ait diffidentiam innatum esse regnantium morbum et 35 asperum esse qui recens imperiret. Sophocl. *Ant.* 737 non esse civitatem eam, quae uni pareat; *O. R.* 873 insolentiam matrem esse regum; *Ai.* 1350 difficilem esse tyranno moderationem; *El.* 1505 morte multandum qui legibus maior esse velit. Tyranni miseria describitur *O. R.* 380, 584.

non satis sunt ad arcendas vituperationes ac molestias, *Ion.* 621; itaque sapientes et incorrupti animi regno minime delectantur *Hipp.* 1012.

Antiqui principatus et regum homericae aetatis rem publicam primorum consilio administrantium frustra vestigia quaeras apud Euripidem, a quo aut posteriorum tyrannorum similes aut principes liberae popularisque civitatis describuntur. Itaque non vult tyrannum esse sine legibus, quum stultorum sit inter pares dominari velle *fr.* 172. Hac in re Graecorum principatus a regnis barbarorum differunt: illi enim legibus, aequitate, populi favore, haec vi atque arbitrio continentur *Her.* 423, *fr.* 171. Ait praeterea honesti viri et dominationem honestam esse *fr.* 8, atque in tyranno praeter immortalitatem omnia esse divina *fr.* 252. Quanquam importunum est in unaquaque voce mentem poetae quaerere, quod multa ex fabularum personis et affectibus manant. Quod si eius sermonis, quem supra memoravimus, inter Theseum et praeconem thebanum huius verba tantummodo superessent, Euripides hic dominationis, alibi libertatis fautor fuisse videretur. Hoc pacto, credo, et aliae res inter se repugnantes interpretandae sunt.

Ex *fr.* 277, quem supra attulimus, satis intellectum est Euripidem non modo unius dominationi, verum etiam paucorum nobiliumque adversatum fuisse. Cetera, quae sunt de nobilitate, potius ad singulos homines quam ad rem publicam pertinent. Nec pauca exstant, ubi generis nobilitatem et amplitudinem praecipuo honore habet. Quod minime mirandum esse arbitror; eo enim tempore natus est, quo complures antiquae domus florebant rerum gestarum gloria praeclarae, nec longe aberat aetas Aristidis et Cimonis. Itaque et philosophiae rationibus et temporum necessitatibus adductus libertatem latius patere cupiebat; sed facere non poterat quin nobiles, accurate et liberaliter eruditos, in summis rei publicae honoribus diu versatos, maiorum laudibus claros, obscuris novisque hominibus praestare fateretur. Quam ob rem queritur nobilium virorum condicionem, quibus laudi et existimationi servire coactis libertas imminuta sit. Humili loco natis sua infortunia complorare licet nullo eorum lacrimas numerante *Iph. A.* 16, 446. Hic animadvertendum est apud complures Graecorum gentes facultates quasdam a parentibus ad filios per manus traditas fuisse; cuius rei non pauca sunt poetarum exempla. Tota fere Simonidis domus lyrica poesi inclaruit; Aeschyli progenies per aliquot aetates gloriam tragoediarum retinuit; Sophoclis, Aristophanis, Euripidis ipsius filii non sine laude poesim coluerunt. Quo magis consentaneum videri oportebat nobiles una cum divitiis atque amplitudine animorum virtutes hereditate accipere. Itaque Euripides: nobilitas, inquit, videtur una cum sanguine in nepotes transfundi; etenim ex ipso vultu elucet *Ion.* 239: vir nobilis liberaliter infortunia tolerat nec, quae sors ferat, detrectat *fr.* 99, *H. F.* 1227. Et in ipso infortunio magnum est nobilitas. Ingenuo loco natis honos et gloria manent, neque tempus omnia delet sed virtus morti superest *Andr.* 770. Est ubi queratur nobilitatem parvi haberi prae divitiis, quibus et obscuri inter primos extollantur *fr.* 96 et nobilitate exornentur *fr.* 22. Nemo non divitibus et obscuris quam pauperibus et ingenuis filias in matrimonium dare

malunt *fr.* 328. Hic videtur Euripides ab asperis et inhumanis moribus abhorrens rudes illos atque inurbanos homines despexisse, quibus recentes divitiae opes ac potentiam comparassent (1) eosque admiratum esse, qui in rebus adversis ingenuitatem quandam animorum servantes generis amplitudinem non obliviscerentur. Quanquam nobilitatem non nomine sed virtute metitur et inanem esse putat, nisi posteri maiorum dignitatem honestis factis confirment. Quod iam tum raro fiebat. Nobiles enim iuvenes genio indulgentes ac recentibus doctrinis imbuti officia erga patriam neglegebant et patrimonia virtute, temperantia frugalitate collecta dissipantes, corruptis moribus, vitiosae inopiae turpitudinem adiiciebant. Quo in numero Aristidis, Themistoclis, Periclis ipsius progeniem fuisse constat. Nec profecto Euripides degeneri nobilium stirpi quidquam tribuebat; et quoniam generosa progenies non parum valet ad auctoritatem et admirationem conciliandam, ait multos esse nobiles improbos, malorum vero nullam esse nobilitatem *El.* 551, *fr.* 54. Iustos, quamvis servos, nobiles habendos, quod facta vanis titulis potiora sint; titulis autem beatam vitam anteponendam *fr.* 514. Non in nomine sed in virtute omnia collocanda *fr.* 530. Ceterum stultorum est nobilitatem extollere: communis fuit hominum ortus et opinio stirpes discrevit. Ingenii est vera nobilitas ac mentis a deo datae, non opibus partae *fr.* 53. Quibus locis omnium mortalium paritatem confirmantibus efficitur, credo, quid Euripides de nobilitate sentiret. Potest quidem generis nobilitas et gloria virtutes excitare et ad egregia facinora viam munire; ipsa vero per se ac virtute destituta nihil est; omnes enim pares sumus et quanti quisque sit omnes per se aestimantur. Quod magno argumento est quam multum Euripides supra communes veterum errores emineret quum in re publica genere atque ortu omnia continerentur; eoque magis admiranda est libertas Euripidis, quod centum fere post annos Aristoteles servitutem probaverit et ad stirpem retulerit (cfr. *pag.* 38, *N.* 6). Nec quisquam Euripidem sequutus est ante Eratosthenem, qui eadem praedicavit quum, Asia subacta, Graecorum humanitas ac literae ex angustis patriae finibus per multas variasque nationes iam propagatae fuerant.

Opulentia pro personae fabulaeque cuiusque natura varie iudicatur. Modo non omnes poetae et philosophi contra sacram auri famem declamitaverunt, quod ipsum haud scio an argumento sit eos inanem laborem suscepisse. Divitiarum cupiditas, penitus insita in hominum natura, eo magis apud Graecos incitabatur, quod inopiam humilitas et contemtus, divitias, honores et potentia sequebantur. Spartanorum avaritiam quis ignorat? quibus praedictum fuerat nullam rem praeter auri cupiditatem exitio futuram *Tyrt.* *fr.* 3. Aristodamus autem dixerat hominem esse pecuniam *Alc.* *fr.* 50. Sed omnes magistratibus ad quaestum abutentes et rerum contractarum inconstantia ac mendaciis effecerunt ut civitates peculatus ignominia male audirent et *graeca fides* in proverbium cesserit. Nec tamen Athe-

(1) Iam Aeschylus dixerat *Agam.* 1042: εἰ δ'οὖν ἀνάγκη τῆσδ' ἐπιρρέποι τύχης (*sc.* δουλείας) ἀρχαιοπλούτων δεσποτῶν πολλὴ χάρις· οἳ δ' οὔποτ' ἐλπίσαντες ἤμησαν καλῶς, ὠμοί τε δούλοις πάντα καὶ παρὰ στάθμην.

nienses sordido ac misero studio pecuniam quaerebant, sed quum ad voluptates tum ad animi sinceras oblectationes convertebant. Quam ob rem Graecorum insatiabilis cupiditas auri argentique ipsis quidem dedecori, sed ad rerum doctrinam conversa universo hominum generi haud parvo emolumento evasit. In primis Euripides queritur quod divitiae omnium existimationem sibi concilient, quare nemo non auri aviditate feratur; quo enim quisque ditior, eo sapientior habeatur *fr.* 584; vulgus autem pauperes loquentes irrideat, qui saepe divitibus sapientiores sint *fr.* 329. Itaque nemo est qui illecebris auri obsistere valeat *fr.* 327. Opulentia, ipsa caeca, mentes obcaecat *fr.* 773. Aurum multorum malorum caussa est mortalibus *fr.* 633; auro et fortuna, iniustae potentiae fonte, homines mente alienantur *H. F.* 774. Divites potiores sunt bonis apud multitudinem ad aurum non ad facta spectantem *fr.* 379. Itaque omnes divitum amici sunt *fr.* 465 et multo magis divitem servum quam liberum atque inopem colunt *fr.* 143. Divitiae iniustae sunt multarumque iniuriarum fons *fr.* 56 ac multo magis cum imperitis coniunctae *fr.* 97. Opulentia est inscitia eademque miseria *fr.* 237, pietatem ex intimo corde erumpentem comprimens *fr.* 736 (cfr. Soph. *O. C.* 1026) ac semen quoddam malorum fovens, paupertas autem sapientiae disciplina *fr.* 642. Divitiis enervantur animi; saeva paupertate vires aluntur *fr.* 55. Putant quidem divites firmiter opes sibi esse devinctas; quae instabiles et in arbitrio fortunae sunt. Igitur desipit qui divitiis gloriatur iisque fretus alios laedit *fr.* 93. Honores ac divitiae inania sunt, et omnium beatissimus putandus est cui nihil mali contingat *Hec.* 623. Non hominum sed deorum sunt res, quas mortales administrant; dii utcunque volunt auferunt *Phoen.* 555. Nolite igitur divitias memorare; quanti quisque sit in se positum habet, neque deus admiratione dignus est, qui apud nequissimum quemque inveniri potest *fr.* 20. Non firmae sunt divitiae malis artibus partae *fr.* 356 (1), quibus tenuis atque innocens condicio anteponenda est *fr.* 822; cfr. 531. Divitias non cupit sapiens, iis contentus quae ad vitam sustentandam satis sint. *Phoen.* 554, *fr.* 884, 885.

At enim Euripides vidit quod esset in civitate munus divitiarum quum inter eas res posuit, ex quibus hominum communio efficitur et continetur. Sensit diversas condiciones variasque fortunas necessarias esse ac rebus humanis consentaneas, ubi bona et mala nunquam disiuncta sed ita commixta sunt, ut inde aequabilis rerum cursus exsistat. Qui posset inopum civitas permanere? divites praebent quae pauperibus desunt, pauperibus opera et labore res necessariae comparantur *fr.* 21 (2). Ne in privatis quidem rebus, tametsi virtuti ac sapientiae primas detulit, tamen facere non potuit quin fateretur quanti pecunia habenda esset. Etenim libertatem non modo ad rem publicam sed ad omnes vitae partes Graeci referebant; quare ex sordidis artificiis et quotidianis necessitatibus servitus

(1) Quae in animis hominum auri cupiditate gignuntur Sophocles quoque attingit *Ant.* 295.

(2) Eadem fere Soph. *Ai.* 158: ὁ φθόνος ἕρπει· καίτοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται· μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν καὶ μέγας ὀρθοῖθ' ὑπὸ μικροτέρων.

non minus gravis quam ex dominatione manare videbatur (cfr. v. g. Xenoph. *Oecon.* 4). Nemo non commoditatem quandam ac liberalitatem affectabat, quae diuturno divitiarum usu comparantur. Animi ornamenta non minus quam corporis quaerebantur, et magna est Graecorum laus quod nec publicis nec privatis negotiis ab artium et literarum cultu prohibiti fuerint. Haec autem divitiis nitebantur et in moribus tam penitus insita et inveterata erant, ut minime mirum videatur Euripidem pecuniae laudatores in scenam produxisse (cfr. *pag.* 6, *N.* 4), eos praecipue qui magnis infortuniis afflicti essent. Pecunia non modo voluptatis fons in conviviis et inter pocula praedicatur, sed etiam in malis solatii et fortitudinis *fr.* 643, ad ingenii bonitatem magnum momentum *fr.* 249; inopia ac fames ad maleficia impellunt *fr.* 907. Pecunia levantur aerumnae *fr.* 810; exsul, si inops sit, poterit ille quidem benigne paullisper excipi; mox vero neglectus deseritur *H. F.* 303. Divitiis inter mortales maximi honores tribuuntur; iisdem nobilitas confirmatur *Phoen.* 439. Maior persuadendi vis est pecuniae quam orationi; quam vim aiunt et apud deos valere *Med.* 964, et ipsis pulcrum esse locupletari; etenim quorum templa divitiis ornata sint, eorum maior est cultus atque admiratio *fr.* 792. Opulentia iucundissima est non ad quotidianum victum, divites enim non plura comedunt quam pauperes, sed propterea quod suppeditant quibus amicis succurramus ac sana corpora servemus *El.* 427.

Euripidis optimi civis ac funesto bello exasperati acerbissimum odium fuit in Spartam; quam contumeliis et maledictis onerandi nullam occasionem omittit. Ac primum contra Spartanos tota fabula est quae *Andromache* inscribitur. Eam ferunt ineunte bello Argis actam esse, ut Argivi ad societatem Atheniensium allicerentur (1). Non equidem credo recte iudicasse Schekelium *l. l. p.* 357, ubi ait primum Euripidem in fabulis scribendis ad rem publicam aliasque sui temporis rationes spectasse; Aeschylus enim Eumenidas composuerat ut pristinam Areopagi auctoritatem defenderet (2). At enim quid sibi Aeschylus proposuerit nec nimis perspicuum nec a tragoediae sublimitate remotum apparet. Spartanorum superbiae et inhumanitatis Menelaus eiusque filia Hermione, *Andromaches* personae, exemplo sunt, qui miseram Andromachen eiusque parvulum filium interficere coniurant. Ut Andromachen ab altaribus Thetidis removeat Menelaus dolis ac fraudibus utitur *v.* 425, eius ac Molossi querelas sine ulla misericordia audit *v.* 537 quod stulti sit inimicum dimittere quum eius caede omnia pericula a se removere liceat *v.* 519. Et alibi Menelaus cupidus, infidus, inhumanus, omnia ad suam utilitatem referens apparet (cfr. *Orest et Troad.* passim), Hermione saeva, pervicax morosa, divitiis elata. Quae non ingenuo animo sed timore ab Andromache insectanda deterretur et cum Oreste fugiens viri caedem meditatur. In aliis quoque fabulis Euripides animum Spartanis infensum effundit, ut in Supplicibus, quae ad

(1) *Schol.* Καὶ φαίνεται δὲ γεγραμμένον τὸ δρᾶμα ἐν ἀρχῇ τοῦ πελοποννησιακοῦ πολέμου. Cfr. *Schol. ad v.* 446 quod edidit Cobetius in Append. Phoeniss. edit. Geelianae.

(2) Cfr. Otfr. Mueller in *Eumenid.* ab ipso editis.

foedus cum Argis referuntur (1) et in Heraclidis, ubi Spartani suis commodis intenti Herculis liberos, suorum regum maiores, deserunt; quos Athenienses benigne excipiunt et in discrimen adductos defendunt. Sparta crudelis civitas at moribus obliqua *Suppl.* 187; si Lacedaemoniis armorum laudem demas, nulla re praestent *Andr.* 725. *Versu* 445 ita fatur Andromache: « O Spartae incolae, omnibus mortalibus invisi, dolosa conciliabula, mendaciorum principes, fraudum artifices, obliqui ac nihil sani, omnia per ambages cogitantes, immerito in Graecia floretis. Quid sceleris non est in vobis? nonne plurimae caedes? nonne turpes quaestus? nonne alia quidem dicitis, alia sentitis? Abite in malam rem »! (2). Instituta quoque Lacedaemoniorum Euripides acerbe vituperat. Pessima dominatio est duorum tyrannorum, ad similitudinem navis, quam duo gubernatores regant. Unus quamvis mediocris vir multis et bonis praestat. Una in domibus potestas, una in civitatibus sit *Andr.* 472 (3). Praeterea puellarum institutio vituperatur, quae solutis peplis nudisque lateribus cum adolescentulis certent nec volentes quidem pudicitiam servare possint *Andr.* 595 (4).

Etiam adversus Thebanos, veteres Atheniensium hostes, simultatis indicia et in *Hercule Furenti* ed in *Supplicibus* reperiuntur. Herculem Thebis eiectum Theseus excipiens solatur, agris donat, mortuum colit. At postea ingrati Thebani cum hostibus Atheniensium societatem ineunt. Confecto septem ducum bello, Thebani hostium corpora ad sepulcrum se reddituros negant; quod Euripides ad crudelitatem Thebanorum post pugnam apud Delion referre videtur (cfr. *pag.* 25, *N.* 4). Eximia vere Thesei pietas ac modestia apparet, qui corporibus per vim repetitis, quum Thebis potiri posset, liberas reliquit.

Nec tamen animus Euripidis cladibus et incommodis belli peloponnesiaci ita fractus fuerat, ut pacem quolibet pacto cupiens patriae maiestati anteponeret. Ait enim bellum sapientibus non esse vitandum, ubi patriae utilitas ac decus agatur; quod si infeliciter successerit, satis pulcram esse palmam egregie mori, at indecorum ignave superari *Troad.* 400. Primum autem in bello est ut iustum sit, nemo enim ex iniusto bello incolumis evasit *fr.* 355. Atqui bellum horrendum est et una necessitate excusandum; qua sublata, quid est ut inter vos interficiatis, miseri mortales? Ponite lites et tranquillas civitates conservate; vita brevis est et quam optime cuique liceat agenda *Suppl.* 949. Itaque Athenienses apud Euripidem et in simultatibus modestia quadam utuntur neque condiciones aequas recusant *Her.* 244, 251, 285, *Suppl.* 385, 670. Etenim pacem vehementissimo desiderio

(1) Verisimile est Supplices anno 420 actas fuisse; cfr. Boeckhii *Graecae tragoediae principia*, *p.* 187; Heraclides primo tempore belli peloponnesiaci; cfr. Hartung *Eur. rest. I*, 288.

(2) Iure Spartanos fallaciae ac fraudum argui ex Herodoto 9, 54 intelligimus: ἐπιστάμενοι (Ἀθηναῖοι) τὰ Λακεδαιμονίων φρονήματα, ὡς ἄλλα φρονούντων καὶ ἄλλα λεγόντων.

(3) Hac in re Eur. Homerum auctorem sequutus est Il. β 204 οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη cet.

(4) Eadem fere Aristot. *Polit.* 2, 6, ἡ περὶ τὰς γυναῖκας ἄνεσις καὶ πρὸς τὴν προαίρεσιν τῆς πολιτείας βλαβερὰ καὶ πρὸς εὐνομίαν πόλεως et paullo infra: Ζῶσι γὰρ ἀκολάστως πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν καὶ τρυφερῶς. Cfr. Otf. Muelleri *Dorienses II*, *p.* 261.

appetit poeta, ac verens ut iam senex bello superfuturus esset, pulcherrimis verbis invocat *fr.* 462.

Tametsi acerbissimae inimicitiae inter Graecorum gentes intercedebant et diuturno atrocique bello in dies magis inter se alienabantur, tamen nunquam perrupta sunt vincula necessitudinis atque humanitatis, quibus consociati a barbaris procul aberant. Varii quidem singularum civitatum erant sermones; verum omnes iisdem literis imbuti facile inter se colloquebantur; non modo Homeri, Alcaei, Sophoclis scripta ubique legebantur, sed ne Aeschylum quidem vel Pindarum constat unquam orationis altitudinem et impetum refraenasse atque ad communem Graecorum intelligentiam accommodasse. Praeterea quae in fabulis tradita fuerant, antiqua instituta, oraculum Delphorum, ludi, libertatis studium, mores exculti atque humanitatis praecepta, quae cum literis propagabantur, ea omnia ad communitatem quandam inter varias gentes coniungendam conferebant; quae communitas non ita mutua pietate quam sui admiratione et barbarorum contemtu continebatur. Quanquam in hoc genere praecipuae fuerunt leges totius Graeciae communes, non illae quidem scriptae, sed perpetua consuetudine in animis insculptae, quas et Euripides memorat fr. 219 ita sanctas quam pietas erga patriam ac parentes. Quae leges pertinent ad humanitatem et morum quandam mansuetudinem v. g. ut omnes Graeci universo hominum iuri et civitatum legibus concederent, quum apud barbaros leges opprimantur vi *Or.* 487, *Med.* 536, iniurias non esse in patriam ulciscendas *Phoen.* 571, necessarios diligendos *Or.* 486. Orestes matris nece communem Graecorum legem violavit *Or.* 495; item Thebani mortuis sepulcrum invidentes *Suppl.* 311, cfr. 526, 538.

Heroica quidem aetate Graeci non ita multum a barbaris distabant, neque Homerus virtutem atque animi magnitudinem Troianis abiudicat. Sed post bella Persarum magna pericula, quibus communis libertas obiecta fuerat et ea, quae in posterum impendebant, odium Graecorum in immensum auxerunt, victoria ac morum comparatio superbiam et contemtum. Euripides quoque barbaros despicatui habet *Bacch.* 483, apud quos omnes, praeter unum, servi sint, qua potissimum re a Graecis differant *Hel.* 276. Iura, leges, ipsa naturae praecepta barbari contemnunt *Andr.* 173, *Iph. T.* 1174, *Med.* 1379: non hospites ipsis, non supplices sacri *Hec.* 1247, *Her.* 131. Quum Eurysthei praeco Herculis liberos ex altari abripere conaretur, Demophon Atheniensium rex: huius, inquit, vestes Graeci hominis, facta barbari *Her.* 130. Deos humanis hostiis colunt, quae graeco more non habeantur sanctae *Iph. T.* 465. Connubia ignorant et feminas loco servorum habent *Andr.* 173 (1); ignavi iidemque inhumani *Or.* 1506 amicitiam spernunt nec, si quis fortiter interierit, admirantur *Hec.* 328. In tam diversis ingeniis atque institutis num fieri potest ut amicitia concilietur? *Hec.* 1199. Ac stulti sunt qui credant se Graeciam subacturos *Rhes.* 477; Graecorum

(1) Aristot. *Polit.* 1, 1, 5 ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν.

potius, liberae gentis, in barbaros et servos iustius imperium *Iph. A.* 1400, *fr.* 717 (1).

Sed haec communia. Interdum vero poeta sese altius extollit ac sine ullo barbarorum Graecorumque discrimine sodalitatem quandam sapientium esse contendit *fr.* 894.

σοφὸν γὰρ ἄνδρα, κἂν ἑκὰς ναίῃ χθονός,
κἂν μήποτ' ὄσσοις εἰσίδω, κρίνω φίλον.

Ad barbaros autem et ea quae Graeci de servis sentirent referenda sunt. Hic nihil attinet comprôbare servitutis origines iure belli contineri et humanitati Graecorum repugnasse. Id modo tenendum est, praecipuum servitutis fundamentum in eo esse quaerendum, quod Graeci sentirent sese mirum quantum barbaris praestare eamque fuisse veterum civitatum rationem, ut in dies magis servitute niterentur (2). Priscorum regum ac tyrannorum temporibus fuerant quidem servi, at vitae communi nondum necessarii; interdum civibus ne servos alerent interdictum est (3). Sed libertate propagata non licuisset profecto civibus ad rem publicam, ad bella, ad corporum atque animorum cultum perpetuam operam adhibere, nisi fuissent qui agros colerent, artificia exercerent, domesticis ministeriis fungerentur (4). Itaque servitus in moribus Graecorum tam penitus inveteraverat, ut iustum ac populare haberetur servos in iudiciis torqueri et excruciari (5), et servitus hominibus vel sapientissimis naturae consentanea esse videretur. Plato a sua republica servos non exclusit et liberis ac servis diversas leges constituit. Neque Aristoteles perfectam domum sine servis mente complectitur; sed quoniam fuerant qui contra servitutem reclamassent, ex ipsa natura eiusque disparitatibus argumenta petit ad necessitatem servitutis comprobandam (6). Ait enim esse qui ad imperandum nati sint, alii ad parendum, neque alio pacto ullam hominum societatem fingi posse. Verum quum servorum natura non esset in iis, qui antea liberi iure belli in servitutem venissent, Aristoteles fatetur non omnium servorum condicionem naturae respondere, sed barbaros tantummodo natura servos *φύσει*

(1) Vulgaris haec sententia, ut ex Demosth. *Olynth.* 3, 24 intelligimus: ὑπήκουε δ' ὁ ταύτην τὴν χώραν (Μακεδονίαν) ἔχων αὐτοῖς (Ἀθηναίοις) βασιλεὺς (Περδίκκας) ὥσπερ ἐστὶ προσῆκον βάρβαρον Ἕλλησι.

(2) V. Bekkeri *Charicles*, *III*, *p.* 1 *sqq.*

(3) Suid. *III*, *p.* 81 ἐκώλυσέ τε ὁ Περίανδρος τοὺς πολίτας δούλους κτᾶσθαι καὶ σχολὴν ἄγειν, ἀεί τινα αὐτοῖς ἔργα ἐξευρίσκων.

(4) Eo potissimum servitutis necessitas apud veteres continetur, quod ipsis sordidum esset ac illiberale manuum opera victum quaeritare. Primus omnium Socrates, quantum scio, eum errorem impugnavit et Aristarchum quendam docuit liberis quoque hominibus honestum esse artificia exercere. Xenoph. *Mem.* 2, 7; nec tamen errorem vetustate corroboratum dissipavit.

(5) Lycurg. *adv. Leocr.* 29 πολὺ καὶ δοκεῖ δικαιότατον καὶ δημοτικὸν εἶναι, ὅταν οἰκέται ἢ θεράπαιναι συνειδῶσι ἃ δεῖ, τούτους ἐλέγχειν καὶ βασανίζειν καὶ τοῖς ἔργοις μᾶλλον ἢ τοῖς λόγοις πιστεύειν.

(6) *Polit.* 1, 2 οἰκία δὲ τέλειος ἐκ δούλων καὶ ἐλευθέρων — τοῖς δὲ παρὰ φύσιν τὸ δεσπόζειν (δοκεῖ)· νόμῳ γὰρ τὸν μὲν δοῦλον εἶναι τὸν δ' ἐλεύθερον, φύσει δ' οὐδὲν διαφέρειν διόπερ οὐδὲ δίκαιον· βίαιον γάρ — ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι διὸ καὶ ἄλλου ἐστὶν καὶ ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον ὅσον αἰσθάνεσθαι ἀλλὰ μὴ ἔχειν. *Cap.* 5; ὁ μὲν γὰρ δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν. Cfr. Schillerum, *Die Lehre des Aristoteles von der Sklaverei*, *Erlang.* 1847, et Steinheimium, *Aristoteles ueber di Sklaverei*, *Hamb.* 1853.

δούλους, quibus non perfecta et absoluta libertas, *τὸ φύσει ἄρχον*, sed in sua cuiusque patria circumscripta esset. Eadem sentiebant omnes. Initio enim captivi sine ullo generis discrimine servi retinebantur; semper autem creditum est servitutem iure belli legitimam esse (1). Sed postquam animi mitiores facti sunt et mores exculti, id in consuetudinem venit, ne quis Graecos servos haberet, vel saltem, quum venderet, ne barbaris traderet. Captivi vel sua vel ditiorum civium pecunia redimebantur, quos plerunque civitates aut ad commutandos aut ad redimendos servabant (2). Quum vero servi in dies magis necessarii fierent, quo plures ex regionibus barbarorum comparati erant, eo magis vulgo creditum est servilem quandam esse barbarorum naturam.

Quam inurbanum ac turpe esset illud hominum genus, sordidis artificiis addictum, ab omni humanitate remotum, rerum loco habitum, facile est ad intelligendum. Quam ob rem quidquid erat abiectum, ignavum, flagitiosum verbo *servili* complectebantur (3). Humanius quidem Graeci quam Romani utebantur servis, quos a crudelitate dominorum leges tuebantur; quum enim in templum Thesei confugissent, domini ad eos vendendos cogi poterant. Nec dominis, ut Romae, ius vitae necisque in servos tributum erat, sed publico iudicio condemnabantur etiam si in ipsa dominorum caede essent deprehensi (4). Attamen quum magno servorum numero tum insolentia atque improbitate fiebat ut nullo pacto a vi abstineri posset, praesertim quum multo plus esset servae quam liberae multitudinis. Quantum incommodi ac periculi civitatibus impenderet vidit Plato, qui Messeniorum seditiones et servorum in Italia latrocinia memorat (5); nil enim sanum servilibus in animis, nullam fidem, idque remedii reliquum esse, ut nec populares in servitute habeantur neve iniuriis servi afficiantur; semper autem poenis, nunquam familiaritate atque admonitionibus utendum (6).

Quid Euripides de servis sentiret facile intelligitur propterea quod multo pluribus servorum personis usus est quam alii tragoediarum scriptores. Et ipse ait omnem servorum cum liberis rationem vi contineri; a servis perpetuam in liberos coniurationem conflari ac si quis sit qui dominos diligat, bellum cum paribus suscipere *fr.* 51. Improbum appellat servorum genus, ventri deditum atque improvidum *fr.* 50; servorum liberos incontinentes et contumaces *fr.* 966; servis

(1) Xenoph. *Inst. Cyr.* 7, 5, 73.

(2) Philostr. *Vit. Apollon. Tyan.* 8, 7, cfr. Plat. *de rep. V*, *p.* 469. Holst, *De eranis vett. Graecorum*, *Lugd. Bat.* 1832. Herod. 5, 77; Thucyd 4, 41; Demosth. *adv. Lept.* 42; Plut. *Nic.* 29.

(3) Jam Homerus dixerat Jovem dimidium virtutis auferre homini, quem libertate privaret *Od.* ρ, 322. Nemo autem dubitabat quin omnis virtutis expertes essent qui nunquam libertate usi fuissent.

(4) V. Antiphont. *De caede Herod.* 48.

(5) Cfr. Athen. *p.* 265, 272. Belli tempore servos verberibus multari non licebat; si quis vapulasset liberabatur. *Probl. rhet.* 59.

(6) Plat. *Phaed. p.* 69 *B*; *Legg. VI p.* 776-777. Non placuit igitur Platoni servos ab Atheniensibus liberius ac mitius haberi. Cfr. Xenoph. *Rep. Athen.* 1, 10; Demosth. *Phil.* 3, 3. Contra Aristoteles ad ea Platonis verba *διό* inquit *λέγουσιν οὐ καλῶς οἱ λόγου τοὺς δούλους ἀποστεροῦντες καὶ φάσκοντες ἐπιτάξει χρῆσθαι μόνον· νουθετητέον γὰρ μᾶλλον τοὺς δούλους ἢ τοὺς παῖδας* *Polit.* 1, 5.

fidendum non esse *fr.* 87, neque hero validiores domi retinendos *fr.* 253. Timidi et ignavi omnibus modis vitam servare quaerunt *fr.* 950, *Or.* 1115, cfr. 1522, *Ion.* 983; dominis superatis ad victores transeunt *El.* 632. Quod si mentem animumque sua condicione excelsiorem gerant, nihil est domibus inutilius, nil perniciosius *fr.* 49, 52, 253, 690. Prae liberis nihili sunt; deus enim servis inferiorem sortem ubique assignavit *Or.* 1115. Alibi servorum officia definiuntur v. g. ne unquam otio diffluant *fr.* 215 (1), ne vera dicant nisi dominis grata *fr.* 315, ut iis semper gratificentur *fr.* 94. Quae ad animos ingenuos ac liberales conformandos quam inepta sint nemo est quin videat.

Fuerunt tamen quaedam servorum munera, quibus haud raro pietate aliqua dominis devincirentur. Ancillis enim ac nutricibus puellae, paedagogis pueri custodiendi committebantur. Saepe pueri perpetua cum vernis familiaritate crescebant (2). Itaque ait Euripides esse quidem complures servorum qui dominos diligerent *fr.* 376, prosperis eorum rebus laetarentur, adversis dolerent *Med.* 53, 1138, *Hel.* 726, *fr.* 86, *Andr.* 88; dulces esse servis optimos dominos, dominis servos amantes *fr.* 533 (3). Qui satis multi sunt in eius tragoediis. Servi Admeti mortem Alcestis multis cum lacrimis deflent, optimae dominae, quae ipsis matris loco fuisset et coniugis iram deleniens ab innumeris malis servasset *Alc.* 769. Senex Agamemnonis servus, Menelao exitium minitante, non dubitat pro domino mortem obire, quod gloriosum esse ait *Iph. A.* 312, 867; eadem fere *Hel.* 1640. Quibus rebus intelligitur Euripidi, tametsi non ignorabat quam flagitiosi et abiecti essent servorum animi, id cordi fuisse ut inter dominos ac servos caritatem quandam excitaret, nec omnia ad vim sed multa ad lenitudinem revocarentur. Notum est chorum in eius fabulis interdum servis constare ipsisque haud parum sapientiae tribuisse, ut servo Menelai, qui de inanitate divinationis philosophatur *Hel.* 744; quod ei vitio vertit Aristophanes *Ran.* 948, *Acharn.* 400; Sophocles vero *Trach.* 52 Deianiram mirantem facit quod serva sapienter esset locuta.

At nemo servorum condicionem tanta miseratione persequutus est, quanta Euripides *fr.* 216, 217, *Iph. A.* 858. Servorum vita nullius pretii est *Andr.* 89, irrisioni et contemtui obnoxia *ib.* 155, caret ope et amicitia *ib.* 82, 136, vel invito animo dominis parere debent *fr.* 94, 315, libere sentiendi ac loquendi nulla facultas *fr.* 215, *Andr.* 186, *Phoen.* 392, *Iph. A.* 313, *Ion.* 674; qua re si quid humani atque ingenui inest in animis exstinguitur et contumelias atque iniurias nihil curantes aerumnosam aetatem subitae morti anteponunt *Hec.* 332; cfr. *Or.* 1522. Ac multo miseriores qui ex liberis servi fiunt *Hec.* 349, *Troad.* 489; quibus multo praestat vita decedere *Hec.* 348, 358, *Troad.* 302, *fr.* 247, 950. Quibus locis unus Euripides videatur dignitatem humanae naturae in servis non neglexisse neque Graecorum praestantiae postposuisse. Multos ait servos esse nomine, qui dominos liberalitate eximioque ingenio antecederent *fr.* 515, 828.

(1) *Schol. ad Demosth. Mid.* 565 οὐκ ἔξεστιν ἀργὸν τρέφειν οἰκέτην.
(2) *Schol. Aristoph. Equit.* 2.
(3) Plato quoque servorum virtutem et amorem memorat. *Leg. VI. p.* 776.

Pares enim sunt homines inter se; servis ipsis honestate, fide, observantia utentibus libertatem servare licet; unum nomen servis est dedecori, cetera liberis non sunt inferiores *Ion.* 854, *fr.* 515, cfr. *Hel.* 728, *fr.* 514, 828, 58. — Iam supra demonstratum est Euripidem sapientis excelsique poetae famam adeptum apud posteros in deliciis fuisse. Quare verisimile est non parum contulisse ad humanitatem et lenitudinem erga servos suadendam; cuius rei non pauca vestigia sunt apud poetas novae comoediae (1).

CAPUT IV. DE REBUS DOMESTICIS.

Colligenti mihi ac diligenter interpretanti omnes veterum poetarum voces, quae sunt de moribus et animis mulierum et praecipue ubi non de singulis sed communiter loquentes, certius videntur significare quid ipsi omni vitae usu docti expertique sentirent, admodum pauca reperire contigit, in quibus vel gravitatem quandam iudicii universam morum doctrinam complectentis, vel sollicitae benevolentiae indicia, infirmioris sexus dignitatem humane curantis deprehenderem. At contra satis multa oblata sunt, ubi animus audax, fraudolentus, pervicax, vanus, saepius levis et imbecillus feminis obiicitur. Neque haec modo in comoediarum et fabularum scriptoribus, quibus id propositum erat, ut vitia carperent ac deriderent, verum etiam in gravissimis poetarum atque humanitate maxime praeclaris. Etenim Sophocles tam aequus in iudicando, tam moderatus vel in vehementissimis animorum perturbationibus, ubi de mulieribus loquitur vel impotentiam ingenii vituperat ad extrema ferociae et aegritudinis aeque proni, vel gloriae et potentiae immoderatam cupiditatem atque admonet modestiam et silentium pulcherrimum esse feminarum ornamentum (2). Bonus ille Virgilius in eadem sententia fuit, qui pervulgatum illud retinuit *varium et mutabile semper*. Quae mitia sunt si cum aliorum compares contumeliis et conviciis, ac v. g. aeschyleus ille Eteocles feminas increpans odium sapientium appellat, publicum ac privatum incommodum, improbam et miseriarum plenam societatem. Fuit quidem Eteocli ferus ac superbus animus, qui totus in bello gerendo et in regno defendendo indignatur, quod mulieres lacrimis et querimoniis milites ab armorum studio et obsidionis laboribus perferendis deterrerent, at eius convicia ita ex intimo corde manant, ut Eteoclis ore poeta ipse quid senserit significare videatur. Nec quum Clytaemnestrae personam produceret fieri poterat ut mitioribus verbis uteretur; ait enim muliebris animi proprios esse dolos, proprias ambages atque ut ostendat, quantum exitii ac detrimenti mulierum cupiditates sequatur, memorat quae antiquitus tra–

(1) Philemon *ap. Stob. Serm.* 62, 28; κἂν δοῦλος ᾖ τις οὐδὲν ἧττον, δέσποτα, ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἂν ἄνθρωπος ᾖ; *Comparat. Menand. et Philem.* p. 361 κἂν δοῦλος ᾖ τις σάρκα τὴν αὐτὴν ἔχει· ἡ δ᾽αὖ τύχη τὸ σῶμα κατεδουλώσατο.

(2) *El.* 1243. *O. R.* 1078. *Ai.* 580, 292.

dita essent in fabulis, v. g. Alteam, quae furore correpta Meleagro filio interitum attulisset, Scillam, quae patrem prodidisset, Lemnias mulieres, quae una nocte viros omnes iugulassent (1). Quod si tam magno contemtu feminas prosequuti sunt poetae, quorum maxima laus fuit in rebus ac personis fingendis sua quadam specie ductos fuisse, quid dicendum videatur de iis, qui ipsum vitae exemplar respicientes et quidquid vitiosum, inconstans, inquinatum erat aucupantes, inde argumenta et voces sumsere? Quare mirandum non est quod Hipponax, dicax ille iamborum scriptor, haec reliquerit:

δύ' ἡμέραι γυναικός εἰσιν ἥδισται·
ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν.

Comicos omitto, ex quibus satis magnam huius modi rerum copiam nullo negotio excerpere possum, quum feminas fingunt pervicaces, morosas, infideles, aeris prodigas, nequitia ac libidinibus viros misere excruciantes; illud Menandri attulisse satis fuerit, ubi ait *ap. Stob.* 72, 2,

— ἀνάγκη γὰρ γυναῖκα εἶναι κακόν,
ἀλλ' εὐτυχής ἐσθ' ὁ μετριώτατον λαβών.

Sed inter omnes, qui vel indignantes vel iocantes muliebrem sexum ita maledictis onoraverunt, ut gravem funestamque necessitatem natura impositam dolere videantur, nemo tam vehementi odio, velut animo penitus infixo, aestuavit, quanto Euripides; cuius significandi nullam non opportunitatem sectatur. Alii obiter invehuntur aut rident; Euripidi id propositum fuisse videtur, ut feminas omnibus contumeliis vexaret, quare iam apud veteres *μισογύνης* appellabatur (2). Neque immerito: ait enim feminam atrocissimum esse malorum *fr.* 805 nec quidquam eius potentia fingi posse perniciosius *fr.* 1045:

δεινὴ μὲν ἀλκὴ κυμάτων θαλασσίων,
δειναὶ δὲ ποταμῶν καὶ πυρὸς θερμοῦ πνοαί,
δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία,
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω δεινὸν ὡς γυνὴ κακόν·
οὐδ' ἂν γένοιτο γράμμα τοιοῦτον γραφῇ
οὐδ' ἂν λόγος δείξειεν· εἰ δέ του θεῶν
τόδ' ἔστι πλάσμα, δημιουργὸς ὢν κακῶν
μέγιστος ἴστω καὶ βροτοῖσι δυσμενής.

Dederunt quidem dii quibus mederemur morsibus venefici anguis; contra feminas tanto nequiores nihil monstrarunt *Andr.* 269; nunquam non impedimento sunt viris ac vitae casus in peius detorquent *Or.* 605; a timiditate ad audaciam im-

(1) *Sept.* 184, 236. *Suppl.* 749. *Agam.* 483, 1636. Vide praeterea Hesiod. *Theog.* 590-612. Simon. Amorg. 7 ed. Bergk.
(2) *Hieronym. Rhod. ap. Athen.* 13, *p.* 257 *E.*

potenter evectae incendia miscent, quae nullo pacto restingui possint *fr.* 278, 432; infelix stultusque habendus est qui ei animanti maledicere desistat *fr.* 36 cuius ipsi nomini infamia inusta sit *fr.* 670:

> *ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων*
> *μεῖζόν σε τοῦδ᾽ ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν;*

Simulatione ac dolis tanquam propriis utitur instrumentis; mendacii ac fraudum perita prudentissimum quemque fallit *fr.* 673, *Iph. T.* 1032, 1298, *Andr.* 84; nullus hostis tam difficilis ad vincendum, nulla moenia tam ardua ad oppugnandum, nullus thesaurus, cuius conservatio tam laboriosa sit *fr.* 548, 322. Quin etiam inanes sunt curae nostrae, ac nisi suapte natura bonae sint, alium admittimus errorem feminas custodientes *fr.* 1046. Augetur autem ac late propagatur malarum artium perniciosa vis naturali quodam foedere, quo omnes feminae inter se consociantur *fr.* 109; id enim est muliebre ingenium, ut singulis omnium res atque utilitates tanquam suae cordi sint; ad quas tutandas ac fovendas velut societatis iure impellantur et perpetuam in viros coniurationem conflent *Hel.* 329, *Iph. T.* 1061. Nullae sunt tam ineptae nugae, quibus infinita et maligna earum garrulitas non moveatur *Phoen.* 197. Neque iis rebus contentae inter se ad vitia alliciunt; itaque si sapias haud committes, ut uxor tua cum feminis, scelerum magistris, familiariter utatur; erit enim quae pecuniae cupiditate eam ad coniugii fidem fallendam adducat, altera ut amicam in communionem scelerum trahat vel lasciva quadam lue infecta; inde domus exitium et corrupti mores *fr.* 49. Ac si qua est, quae ex tam foeda contagione innocentiam servaverit, non idcirco bonam famam retineat, quod improbae malarum artium turpitudinem cum bonis communicant. Igitur recte facies si domum tuam claudendam et ianuam diligenter custodiendam curaveris *Andr.* 944 eamque delegeris ancillam, quae sedulo vigilet nec iusta taceat sed ab omni flagitio abhorreat *fr.* 314. Luculentum muliebris vanitatis exemplum Helenam finxit, *Or.* 128, cui ad sepulcrum Clytaemnestrae crines more maiorum fuissent recidendi. Verum nec religione ac Manibus amissae sororis nec moerore immaturae mortis horrendique parricidii adduci potest ut molle ac lascivum capitis ornamentum ponat. Itaque paullisper cunctata extremos crines desectos sepulcro imposuit. O feminam semper eamdem! Omnium vero atrocissima sunt quae Hippolytus *v.* 616 increpat, quum Phaedrae turpi amore comperto, iratus Iovem compellat, nonne rectius humano generi propagando consulere potuisset, si liberorum semina in suis templis vendenda curasset neque viros tantae miseriae obnoxios reddidisset. — Ex his, quae attulimus (nec omnia sunt), iam intelligi potest qui fuerit Euripidis animus adversus feminas. Sed antequam tam vehementis indignationis ac contemtus quid caussae fuerit penitus inquirimus, declaremus necesse est quaenam poetae ipsius propria sint et quae, si colorem poeticum demas, cum aequalibus communia habere videatur.

De condicione feminarum graecarum et praecipue atheniensium variae sunt doctorum hominum et discrepantes sententiae. Sunt qui ad heroicam aetatem spe-

ctantes, quum haud parum mulieribus tributum est, aut ad eas tragoediarum personas, quibus fingendis poetae suam quandam speciem, non rerum naturam, sequuti sunt, excelsum ac plenum dignitatis locum feminas obtinuisse arbitrati sint. At contra fuere quibus Athenienses in hac re modo non nihil a barbarorum moribus distare videantur ac muliebrem sexum humanioris institutionis prorsus expertem, servilibus ministeriis addictum, indigne habitum fuisse affirment (1). Hic nihil attinet eas controversias revocare, quarum etiam nunc recens memoria viget et satis fuerit ea attingere, quae hominibus harum rerum peritissimis legum reliquias et scriptorum voces acute interpretantibus satis constare videantur (2).

Ac primum quum antiquissimis temporibus ea esset condicio matrum familias, quae haud ita multum ab humaniore aetate differret (3), mirandum est Athenienses, quo magis animorum cultu et omnibus doctrinae partibus profecerint, eo magis domesticas consuetudines ac feminarum curam neglexisse. Fuit id nimirum inter maxima vitia nobilissimae gentis, quae cum non modo pueris educandis sed etiam adultis viris erudiendis et ingenuis artibus imbuendis omnia comparasset, dimidiam partem hominum tam longo a se intervallo reliquerit et ab omni doctrina remotum non aliud quam instrumentum domesticis rebus adhibuerit. Feminae apud Athenienses nunquam sui fuere iuris, sed perpetua erat aut parentum aut virorum tutela; viduae et quae a viris divortio essent disiunctae in potestatem parentum aut filiorum redibant. Ac non modo quidquam contrahere vetabantur, sed ne quid fraudibus, blanditiis, andacia assequerentur, lege Solonis cautum erat ut, quae a viris suadente femina acta vel contracta essent irrita ac nulla haberentur (4). In interiore parte domus vitam agebant umbratilem, ab omni virorum communione remotae atque inde a pueritia sub vigili matrum vel ancillarum custodia muliebres artes discebant. Primis literarum ac numerorum elementis instituebantur non ultra ea, quae matri familias necessaria fore viderentur. Exstitere sane in Graecia mulieres haud communi doctrina ornatae; Apollonii quidem stoici liber memoratur de mulieribus, quae in philosophia claruerunt et ipse Euripides testatur nonnullas Athenis floruisse. Non tamen exquisitior animi cultus fuit unquam indigenarum mulierum sed aliarum, quae magnam partem ex Asia Athenas migrabant. In quas non parum admirationis et officii Athenienses contulerunt (5) sed haud scio an quisquam eius modi sibi uxorem

(1) Inter priores memorandi sunt: Jacobs, *Varia scripta IV;* St. John, *Hellenes I;* Lasaulx, *Zur Geschichte und Philosophie der griechischen Ehe* in *Acad. Bavar.* 1851; Maehly, *Die Frauen des griechischen Alterthums.* Secus iudicarunt De Pauw, *Recherches sur le Grecs* I; Meiners, *Geschichte des weiblichen Geschlechts.*

(2) Cfr. Limbourg-Brouwer, *Histoire de la civilisation des Grecs*, ad cuius sententias accesserunt Wachsmuth, *Antiq. graec.* II, Wiese, *Ueber die Stellung der Frauen im Alterthume und in der christlichen Zeit;* van Stegeren, *De conditione civili feminarum Atheniensium*; id., *De conditione domestica feminarum Atheniensium*; Becker, *Charikles* III; Bernhardy, *Hist. liter.*

(3) Cfr. Lenz, *Geschichte der Weiber im heroischen Zeitalter*; Helbig, *Die sittlichen Zustaende des griechischen Heldenalters.*

(4) Demosth. *adv. Boeot* 7; *adv. Phaenip.* 27; *in Olymp.* 56. Isaeus, *De Aristid hered.* 10.

(5) Jacobs, *Varia Scripta IV*, *p.* 379; Xenoph., *Mem.* 3, 11; Cic., *N. D.* 1, 33, 93.

cuperet. Omnibus Atheniensibus, credo, Euripideum illud commune fuit, sese doctas nolle feminas, quod arrogantia et contumacia inflentur neque aliud ex doctrina hauriant nisi maiorum flagitiorum audaciam (1).

Nunquam non intra domesticos parietes crescebant virgines ad modestiam et verecundiam, quibus neque decorum erat, nisi in magnis deorum festis, in publicum prodire (2). Cuius secessus haud ita multa immutabantur post nuptias, nec domo exire honestae uxori licebat inscio viro, conscio nunquam sine comite et ubi angustior esset res familiaris, quam ut ancillam ad id ipsum haberet, quoties opus erat conducta utebatur. At ne ita quidem bonis moribus consentaneum fuit domum saepius relinquere, quod magnum habebatur periculum castimoniae ac satis erat ut maledicis censoribus materies obtrectandi praeberetur. Noctu exire nisi curru vectae et cum facibus lege Solonis vetabantur. Ea tam rigida disciplina annis progredientibus aliquantulum laxabatur, quum, ut Hyperidis verbis utar, mulieri occurrentibus quaerere licuisset cuiusnam mater, non cuiusnam uxor esset. Amicos viri excipere viro absente inauditum erat. Quam peccantem deprehendissent puellam facultas erat patri fratrique vendendi, nuptam infamia irrogabatur viro nisi dimisisset. Impudicis omni cultu ornatuque corporis interdicebatur et cuilibet virorum licebat verberare ac vestes exscindere (3).

Eam vitae institutionem quae consequuta sint facile intelligimus. Quum procul ab hominum convictu inter servas ac serviles curas perpetuo versarentur, omnium rerum expertes, quae ad humanitatem et ingenuas artes pertinent, vacuam plerunque mentem, animum pigrum gerebant ridendaque saepe erant inscitia et fatuitate. At insitae iuvenilibus annis vires omni liberalium rerum cura interclusae in dolos, in nugas ac misera artificia effundebantur. Quae si quis comparet cum virorum institutione, quorum iuvenilis aetas tota in palaestris et gymnasiis versabatur, poetarum carminibus, picturis, signis, aedificiis aliisque excellentium artificum operibus erudita, quibus magna illa urbs abundabat, ac postea civilibus undis mersabantur, quum universae rei publicae tum factionum curis districti ac modo in comitiis suffragia dabant, modo iudices pro tribunali sedebant, tum milites, nautae, mercatores, saepe animos recreantes ludis ac festis deorum, unde copiosa manabat sapientiae et humanitatis disciplina, id intervallum inter utrumque sexum esse videatur eaque non modo disparitas sed repugnantia, ut intelligi liceat nihil Athenienses ad domesticam consuetudinem et arctiorem uxorum convictum allicere potuisse.

Quibus rebus non modo vulgus sed etiam doctissimi homines eo adducti sunt, ut censerent naturam ipsam feminas inferiores finxisse ac viris subiecisse. Itaque poetarum voces saepenumero cum philosophorum sententiis congruunt, qui neque despicientes neque iocantes loquebantur. Quum Euripides feminam ad virtutem

(1) Eur. *Hipp.* 635, *fr.* 112. Doctarum feminarum arrogantiam describit Juvenalis *Sat.* 6, 434. Martialis non doctissimam coniugem inter res optabiles ponit 2, 90.

(2) Eur. *Or.* 108; *Iph. A.* 720; *Her.* 476. Eadem Phocylides *Carm. didasc.* 203.

(3) Eur. *fr.* 525; *Troad.* 647. Plut. *Sol.* 23, 24. Hyper. *ap. Stob.* 74, 33; Demosth. *in Neaer.* 87,

minus validam, ad vitia proniorem appellat cum Democrito et Platone consentit, qui ei dolos et fraudes obiiciunt; quin etiam Plato in feminas eo gravius animadvertendum censet, quo minus ad virtutem aptae sint (1); ac si Euripides affirmat unum virum innumeris feminis pluris esse eumque contemnendum, qui adversus eas non imperio sed lacrimis ac precibus utatur, Aristoteles virili naturae imperium tribuit et quaerit cur gravius sit facinus feminam interficere quum mas natura melior sit. Quo magis Socratem admirandum esse arbitror, qui utriusque sexus pares ingenii facultates definiverit (2).

Quae quum ita essent, si quis credat inter viros et uxores omnia rudia et incomta nec quidquam blandi et expoliti moris intercessisse, vehementer erret. Constat enim viros coram uxoribus ab omni inurbana voce ac gestu abstinuisse et summa cura quidquid liberali institutione indignum erat vitavisse. Quae tamen non tam obsequii nec muliebris verecundiae solliciti faciebant, quam ut domesticam disciplinam suamque auctoritatem tuerentur; cuius ea erat cura, ut nec victus communionem nec coniugii dulcedinem potiorem haberent.

Tametsi neglecta erat mulierum pueritia, solitarium ac paene illiberale institutum vitae, tamen non defuere exempla singularis virtutis et animi excelsi; etenim indoles vere egregia nullis impedimentis constringitur, quò minus eluceat, neque exiguus fuit numerus earum, in quas viri plurimum iudicii officiique contulerunt. Quum solerent Athenienses maximam diei partem in foro, in iudiciis, in gymnasiis, in coetibus amicorum versari, saepenumero totam domum ac rem familiarem uxoribus committebant. Nec raro inversis partibus uxor dominabatur, vir parebat. Nemo non scit quam arroganter sé gesserit Xanthippe ac satis constat exstitisse qui ipsas virorum genas crepidis percusserint (3). Verum licet complures animis virorum aut tollerantibus aut imbecillis obsequio et auctoritate matrum familias fruerentur, tamen deerat commune iudicium ac institutum, quo feminarum dignitas ac iura continerentur earumque officia non levia quaedam et necessitate definita sed praeclara et cum omni humanitate coniuncta existimarentur.

Quoniam tam magna est similitudo Euripidis non modo cum poetarum conviciis et comicorum iocis, sed etiam cum iis, quae gravissimi homines scripserunt, sequitur ut quae de feminis sensit non ex iudicio singulari sed ex communi illius aetatis opinione manasse videantur. Quod autem tam saepe ac vehementer indignatus sit, partim eius ingenio, partim vitae casibus tribuendum puto. Nam quum recentis sapientiae afflatu exagitatus ad communem vitam spectaret eique res humanae ab iis, quae ipse sibi cogitatione fingeret, tam longo intervallo remotae obiice-

(1) Eur. *fr.* 405; *Med.* 408; Democr. *ap. Stob. Serm.* 73, 62; Plat. *Legg. VI, p.* 781. Cfr. Xenoph. *rep. Laced.* 3, 4. Publ. Syri sententia exstat: malo in consilio feminae vincunt viros. Propert. *El.* 2, 7, 69: verba et componere fraudes, hoc unum didicit femina semper opus.

(2) Eur. *Iph. A.* 1373; *Hel.* 991. Aristot. *rep.* 1, 13; *Probl.* 29, 11. De Socrate Xenoph. *Conv.* 2, 9.

(3) Lys. *de caed. Eratosth.* 6. Aristoph. *Lysistr.* 657.

rentur, mirandum non est quod tam saepe quum de moribus atque institutis tum etiam de feminis loqueretur, quae tam magnum vitae mortalium momentum sunt. Praeterea urbs agresti multitudine stipata, horrida pestis, iuventus diu absens, antiqua genera exstincta, novi homines rerum potiti, varii proeliorum casus familiari disciplinae incredibili detrimento fuerant ac pessimi exempli flagitia ab oratoribus memorata sunt. De Euripidis ortu ac rebus domesticis pauca constant. Quae a posterioribus tradita sunt inter se dissentiunt ac magnam partem ex comicis excerpta sunt, qui Euripidis non modo fabulas sed privatam quoque vitam irrisui habuerunt (1). Haec tamen satis constare videntur: duas Euripidi fuisse uxores; utramque sese inhoneste gerentem dimissam fuisse; quod eo verisimilius est, quo magis ex infelici amore odium feminarum incendi solet. Haec maxime videntur significare versus quidam *Hecubae* 1178:

εἴ τις γυναῖκας τῶν πρὶν εἴρηκεν κακῶς
ἢ νὺν λέγων τίς ἐστιν ἢ μέλλει λέγειν,
ἅπαντα ταῦτα συντεμὼν ἐγὼ φράσω·
γένος γὰρ οὔτε πόντος οὔτε γῆ τρέφει
τοιόνδ'· ὁ δ' ἀεὶ ξυντυχὼν ἐπίσταται.

Euripides autem is erat, qui domestica incommoda omnium molestissime ferret. Quum enim severo ac moroso quodam esset ingenio, contrariis rerum fluctibus maloque fabularum exitu exasperatus (2), a comicis irrisui habitus, ab omni coetu remotus, confugerat ad libros suos, quos satis multos ac raros domi habebat (3). At solitudine et vulgari offensione desiderium domestici amoris augeri solet. Quod si non amorem sed lentitudinem, non solatium sed molestias, non rei familiaris curam sed offensionem ac neglegentiam experiebatur, quid mirum quod adversus mulieres inveheretur? Quas si universa quadam philosophiae ratione non propriis de caussis odisset, nec tam crebris nec tam acerbis usus esset contumeliis, quibus videtur significare sese rei cuiusdam necessariae diuturno atque inani desiderio teneri. Confirmantur haec locis compluribus, ubi longe diversa de feminis praedicantur, quod in tam acerbo mulierum osore praeter spem fit. Ac primum fatetur non esse sapientis omnes feminas sine ullo discrimine vituperare; quarum aliae bonae aliae improbae *fr.* 658, aliae exitio aliae emolumento sint *fr.* 79; varia esse earum ingenia; nihil esse mala femina perniciosius; nihil proba melius *fr.* 497; esse quae optima sentiant et optima suadeant *fr.* 294 et pluris quam viri sint *fr*, 501. Est quando mulierum condicionem humane commiserans naturam ac mentes penitus introspexisse videatur. Ait enim miserum esse muliebri sexui inferiorem esse viris *H. F.* 536 ad aerumnas potius quam ad voluptates natas *Med.* 298; timidas ac impotentes facere non posse quin

(1) Antiquorum loci apud Nauckium in Adnott. vitae ab eo exaratae. Cfr. Hartung. *Eur. rest.* et Bernhardy *Encycl. Hall.*

(2) Huc spectare credo *fr.* 636: οἱ τὰς τέχνας ἔχοντες ἀθλιώτεροι τῆς φαυλότητος· καὶ γὰρ ἐν κοινῷ ψέγειν ἅπασι κεῖσθαι δυστυχὲς κοὐκ εὐτυχές.

(3) Cfr. Aristoph. *Acharn.* 394.

perpetuo sua mala querantur *Andr.* 93. Omnium animantium femina miserrima, quae dominum sibi magno pretio emere cogatur ac vel pessimo in perpetuum devincta manere; dedecet enim feminam a viro discedere. Cuius mores atque ingenium inexperta divinetur oportet; ac si bono utatur viro beatam aetatem agit, sin malo, mori satius est. Vir ubi domestica societate gravetur, domo egressus cum amicis et aequalibus exhilaratur; uxor ex uno pendet viro. Aiunt quidem viros armorum periculis obnoxios, feminas tranquille ac tuto vivere. Nonne et feminis sua pericula obeunda in liberis pariendis? *Med.* 230. Earum nulla est satis magna virtus, qua virorum fidem et opinionem sibi concilient; bonae inter malas admixtae et ipsae odio habentur *Ion.* 398. Et quum mortuae sint quodnam sui desiderium relinquunt? virorum morti illacrimantur domus, feminas parvi pendunt *Iph. T.* 1005. — Qui tam sollicite atque humane muliebrium animorum interiores motus deprehendit, eum implacabili quodam totius generis odio incensum fuisse nemo credat. Quod magis in aperto erit si perpenderimus quid de amore et connubio senserit, in quo palmam virtutis et constantiae mulieribus tribuit.

Scimus veterum amorem corporis voluptate definitum esse, et liberalioris cuiusdam studii, ad virtutem atque ingenii praestantiam pertinentis, rara exstare vestigia; neque ulla sunt poetarum verba ita casta ac blanda, ex quibus vetus amoris natura non eluceat. Quae ut excellentior fieret atque ad maiora eveheretur omnia deerant Athenis; nam, ut iam diximus, neque mulierum mentes excolebantur, neque mos erat ut inter iuvenes utriusque sexus vel coetus fierent vel aliqua consuetudo intercederet. Peregrinas mulieres, quibuscum versari solebant, formosas quidem illas et animis eruditis, nemo Ateniensium in matrimonium ducere ausus esset, tum solliciti domesticae disciplinae, tum quod liberi, civitatis iure abalienati, honorum expertes futuri essent. Insignis erga honestam civem amor et haud scio an unus sit, qui comprobari possit, Calliae fuit, ditissimi viri, qui ut Elpinicem, Cimonis sororem, consequeretur, quinquaginta talenta, multam Miltiadi irrogatam, solvere non dubitavit (1). At Elpinice egregia femina excelsique animi fuit et aliquot annis post, quum Athenienses desiderio Cimonis permoti essent, quem testarum suffragiis eiecerant, dicitur ipsa fratrem cum Pericle conciliasse et ad statuendum quibus condicionibus factiones in posterum tenerentur non parum contulisse. Quod argumento est tum quoque generosa ingenia ac liberales voluntates exstitisse. Sed neque eius modi exemplis neque philosophorum placitis vulgares de amore opiniones mutatae sunt (2); quae caussa fuit quare in severioribus literis amatoriae res contemnerentur. Apud Aeschylum *Agam.* 412 unum Menelaum reperias, qui a coniuge desertus eiusque fuga erubescens inter vestigia amissi amoris tacitus errat, uxoris imagine exasperatus:

ὀμμάτων δ'ἐν ἀχηνίαις ἔρρει πᾶς' Ἀφροδίτα (3).

(1) Plutarch. *Cim.* 4.

(2) Plat. *Phaedr et Conviv.* Cfr. Aloysii Ferrii, doctissimi viri, libellum recens editum: « La dottrina dell'amore secondo Platone » Romae, 1874.

(3) Eadem Dantes de Beatrice Nini Vicecomitis vidua, *Purg.* 8, 76.

Excelsum quidem Aemonis erga Antigonem studium Sophocles colorum quadam venustate dipinxit. Cuius amori ita vehementi, ut mortem obeat voluntariam, tanta adversus patrem indignatio commixta est, ut teneris ac blandis vocibus nullus locus reliquus sit. Quanto praestantior pietas Antigonis erga fratrem elucet!

Euripidei amoris duplex ratio est. Primum enim est universa lex, qua omnia oriuntur atque augentur. Quem ad modum coelum amore perculsum ex nubibus in tellurem effunditur rerum semina iniiciens, ita omnia animantia eadem vi commota alia ad alia trahuntur *fr.* 890. Quae verisimile est Euripidem ex philosophiae praeceptis depromsisse ac poetico colore ornata Venerem praedicasse vehementi flatu omnia adspirantem atque apis ritu volitantem, *Hipp.* 563; ac *v.* 447.

φοιτᾷ δ'ἂν αἰθέρ', ἔστι δ' ἐν θαλασσίῳ
κλύδωνι Κύπρις, πάντα δ'ἐκ ταύτης ἔφυ.
ἥδ' ἔστιν ἡ σπείρουσα καί διδοῦσ' ἔρον
οὗ πάντες ἐσμὲν οἱ κατὰ χθόν' ἔκγονοι (1)

Amor potentissimus est deorum, cui alii dii et ipse Iupiter parere cogantur *fr.* 434, cfr. *Hipp.* 453. Desipit omni venustatis sensu destitutus qui Amorem magnum numen omnibusque diis praestans esse non credat *fr.* 271 (2). Eam naturae legem non licet mortalibus detrectare; si obstiteris vehementius premet *fr.* 668; non pugnando sed cedendo mitigatur; vehementior fit vi et bella ac tumultus movens domos perdit *fr.* 341. Inertes ac desidiosi animi amore graviter commoti artificia ac dolos discunt. Quid igitur custodientur amantes adolescentuli, quum vel tarda ingenia amore callida fiant? *fr.* 162. Quam ob rem nolint parentes amoribus liberorum vim adhibere, at meminerint se quoque adolescentes fuisse *fr.* 945. Hac rerum creatarum lege animi graviter perculsi extolluntur, quare Euripides blandissimis verbis suavitatem puri amoris significat; parum quidem diversus ab aliis poetis ubi animos anxios vel sollicitos vel voluptate gestientes facit, ubi ait in mentibus a Musis alienis carminum studium amore excitari *fr.* 666. Venerem iucundam eamdemque gravem appellat *fr.* 867 tum inexplicabilis gaudii tum aegritudinis effectricem *Hipp.* 347, *fr.* 26. At videtur supra omnes extolli ubi affirmat, mulier quanti habenda sit ad animum non ad corpus referendum, parvique ducendam formam ubi animus desit *fr.* 211, 552, ac tum perfectam esse iucunditatem, si digna sit quae diligatur *fr.* 140. Est enim incorruptus amor, qui a sensibus remotus ad sapientiam ducat *fr.* 676; amor iusti ingenuique animi utinam esset universa lex et neglectis voluptatibus optimus quisque amaretur! *fr.* 382

παίδευμα δ' Ἔρως σοφίας ἀρετῆς
πλεῖστον ὑπάρχει,

(1) Horum versuum non immemorem fuisse arbitror T. Lucretium Venerem nobilissimis versibus invocantem *R. N.* 1, 1, sqq.

(2) Universum amoris imperium a Sophocle quoque praedicatur *Ant.* 781, *Trach.* 441. Hos imitatus Ovid. *Her.* 4, 12: regnat et in dominos ius habet ille deos.

cuius societas est iucundissima et cum gaudio doloris experte in bonam spem adducit. Nolint adolescentuli amorem fugere at recte uti, ubi excitatum fuerit. Non haec illa Venus delectationis et acerbitatis fons, sed ingenua ac sincera voluptas nullo dolore ac turbido sensuum tumultu commixta, qualem Plato cogitatione comprehendit et multo magis simplex ac naturae consentanea, cuius poeta philosophiae studiosus informationem quandam animo concepit multo ante quam philosophus poetico afflatu incensus eam explanaret. Ei amori homines ut indulgeant monet, non vulgari, quem infidum appellat et vel corruptos animos commoventem *fr.* 139, cuius sordidos appetitus satietas comitetur *fr.* 887. Ait praeterea Cyprignam tenebras quaerere; luce temperantiam ac modestiam gigni *fr.* 528. Sed his omissis, quae communem rerum humanarum modum excedunt, Euripides primas amoris partes feminis tribuit, quarum in animis summum Veneris imperium ac praecipuae amoris curae *Andr.* 241. Amore acuuntur mentes, lentique sunt virorum animi cum versutia amantis feminae comparati *Hipp.* 380. At si vehementiorem deae afflatum experiuntur, et cohibere valent *Andr.* 221. Teneri enim ac mollis ingenii incredibile dictu est quantae sint vires, si stimulis amoris et suspicionis exagitentur. Quae antea gladii fulgorem perhorrescebat, eius modi iniuriis incensa caedes petit et sanguine gaudet *Med.* 264. Ubi animo amoris avido satisfactum sit, nil ultra quaerit; sin aliquid iniuriosum acciderit, quidquid est optimum ac pulcherrimum inimicissimum ducunt. Inde innumera mala gignuntur ac multo praestaret si aliunde liberos suscipere liceret neque ullum esset feminarum genus *Med.* 569. Ita commovetur poeta ea feritate iniuriarum ulciscendarum ut funestum humani generis morbum amorem appellet *fr.* 404.

Haud scio an Euripides ulla in re tam blanda colorum suavitate usus sit quam in domestica caritate et grata coniugii consuetudine depingenda. Non implacabilis quidem feminarum adversarii sed hominis ad mitem dulcemque familiaritatem nati fuit imagines uxorum omnibus numeris cumulatas et a communi opinione remotas mente complecti. Nil enim reperiebat in rerum natura, quod imitaretur. Suam quidem stirpem propagare officiis erga deos, erga civitatem ac domum ipsam Graeci tenebantur; deos enim qui colerent, civitatem qui conservarent erant relinquendi, ac magnum habebant infortunium domum exstinctam; Manibus defunctorum acceptas atque utiles inferias. Itaque modo non omnes, qui liberis carebant, alienos adoptantes domum servandam curabant. Nec leges ad connubia concilianda defuerunt (1); Lacedaemone coelibes ab honoribus remoti, iuventutis obsequio privati, spectaculis prohibebantur ac turpi pompa quotannis circumducti ignominia notabantur. Plutarchus *am. prol.* 2 et Pollux VIII, 40 memorant Athenis quoque coelibatus actionem fuisse; Plato *Symp. p.* 192 ait genus quoddam virorum fuisse, qui a nuptiis ingenio abhorrentes legibus cogerentur. Contra Stobaeus *Serm.* 68, 33 Solonem hortanti cuidam, ut in coelibes animadverteret, respondentem facit: « optime, ingens onus femina. » Nil prae-

(1) Osann, *de coelibum apud veteres conditione.*

terea certo scimus; tamen id tenendum arbitror, omnes viros nisi legibus at opinione ad nuptias adductos fuisse, atque ex loco Dinarchi efficitur honestatem domesticae condicionis ad opinionem ac fidem conciliandam magnum fuisse momentum. Quare necessitate quadam divina et humana ad matrimonia ineunda impellebantur ac in primis liberorum suscipiendorum caussa (1), qui si nulli essent, coelestis irae indicium interpretabantur. Exstat Sopatri locus apud Hermogenem iis, qui liberis caruissent, exercitus non fuisse commissos. Verum tum feminarum condicione tum aliis rebus, quibus a domestico convictu alienabantur, factum erat ut connubia ad consuetudinem atque utilitatem non ad studia ac voluntates animorum relata misera quaedam ac dolenda necessitas haberentur (2). Saepenumero a parentibus conciliabantur, semper fere sine puellarum sententia, haud raro ut filii a turpi vita removerentur. Legimus quidem apud Achillem Tatium 1, 8: « pater tuus te matrimonium inire cogit; quid commisisti ut catenis vinciaris? » et in Trinummo plautino 1176: « si pro peccatis centum ducat uxores, parum est ». Quam frigidi ac lenti essent novorum coniugum animi intelligimus ex Xenophontis *Oeconomico* 7, 10, ubi ait ut de re solita, antequam nova nupta ita mansuefieret, ut cum viro colloqueretur, aliquantulum temporis praeteriisse. Leges ipsae ad vincula coniugii restringenda parum conferebant. Unicas enim filias, quae ἐπίκληροι appellabantur, una cum re familiari pater legabat cui vellet; si intestatus decessisset, eius, qui consanguinitate proximus esset, in potestatem veniebant. Demosthenis pater propinquo cuidam uxorem, alii filiam legavit. Praeterea connubia facile abrumpebantur. Cui ἐπίκληρος hereditate obtigisset uxorem suam dimittere, ἐπίκληρον iam nuptam auferre viro licebat. Menecles quidam iam senex ac liberis carens uxoris fratribus suadet ut alium sorori virum quaerant, non quod ipsum coniugis poeniteret, sed ne uxor quoque sine liberis senesceret. Nunquam profecto condicio feminarum eo descendit, ut plures uxores habere liceret. Uni Anaxandridae, Lacedaemoniorum regi, quum uxorem sterilem dimittere recusasset, ne Eurysthenis stirps exstingueretur, facultas data est alteram ducendi, Herod. 5, 39 (3). Sed etiam non iusta connubia legibus sancta erant quae ad opinionem feminarum minuendam pertinebant. Quibus rebus intelligitur ne in connubio quidem feminis satis obsequii ac dignitatis tributum fuisse et externo quodam vinculo, non animorum voluntatibus, viris fuisse coniunctas.

Omnium sententias et hic sequutus Euripides ait virum esse domus principem ac patrem familias, in quo uno generis sacra et condicio civilis continerentur. Mulier domo paterna egressa abalienatur *fr.* 320. Decet virum obtinere locum suum neque uxori habenas laxare; vae credulis! cui bona uxor contigerit se fe-

(1) Aristoteles quidem ait connubium ad communionem victus pertinere, quod natura ipsa alia sint munera uxoris alia viri *Eth. Nic.* 8, 14. Animorum coniugium introspexit Musonius *ap. Stob. Ser.* 67, 20: « cuinam, inquit, nisi viro et uxori, omnia communia habentur, corpora, animi, res? »

(2) Antipater *ap. Stob. Ser.* 67, 25.

(3) Quae de Socratis digamia tradunt Plutarchus et Athenaeus, de Euripidis A. Gellius, historiae fide carent. Cfr. Luzac. *lect. att. et* Fritzsch *ad Aristoph. Thesmoph. p.* 111.

licem praedicet, bonum in malo expertus *fr.* 466. — Sed harum rerum oblitus amoris ac fidei exempla pulcherrima finxit ac primum locum mulieribus assignavit. Nulla est, credo, muliebris virtus, quae cum Alcesti comparanda sit. Admeto fatis interitus impendet; Apollini roganti Parcae concesserunt ut alius pro Admeto moreretur. Pater, mater, familiares, omnes denique negant sese voluntariae morti obiecturos; una Alcestis, uxor eius, gravem condicionem accipere audet. Atqui sentit quam durum sit iuventutem regiumque fastum relinquere, parvos deserere liberos, praesertim filiolam maternae egentem curae, at multo magis virum, quem unice amat. Verum tamen sine ulla dubitatione morti occurrit, id sibi solatii proponens, quod virum ab interitu vindicaret. Qui gravi iactura commotus: « in te una, inquit, vita mea et mors continentur; amorem enim tuum unice colo » ac pollicetur sese non aliam uxorem ducturum sed vel exstinctae fidem servaturum (1). Aliam perfectae uxoris effigiem Andromachen expressit, neque ulla tam vehementer amans et tam sui oblita fingi potest. Ait enim *Andr.* 222.

ὦ φίλταθ' Ἕκτωρ, ἀλλ' ἐγὼ τὴν σὴν χάριν
σοὶ καὶ ξυνήρων, εἴ τί σε σφάλλοι Κύπρις,
καὶ μαστὸν ἤδη πολλάκις νόθοισι σοῖς
ὑπέσχον, ἵνα σοι μηδὲν ἐνδοίην πικρόν.
καὶ ταῦτα δρῶσα τἀρετῇ προσηγόμην
πόσιν.

Quod haud scio an magis barbarorum moribus quam Graecorum humanitati consentaneum fuerit. Sed in Andromaches persona Euripides barbarorum oblitus omnia inter virum et uxorem paria constituit; v. g. *Troad.* 654 « mutam linguam placidamque viro faciem exhibebam; noveram enim quibus rebus a me virum quibusque me ab eo superari oporteret » eique tam excelsa uxoris species insidet menti, ut ne cum flagitioso quidem viro unquam litigandum ne superbe decertandum putet *Andr.* 213. Quum in servitutem adducta Neoptolemo nubere cogitur, veretur, ne novum virum diligens Hectori improbetur, prudentia, genere, opibus ac fortitudine praestanti *Troad.* 661-673. — Euadnis quoquec quamvis leviter adumbratae, generosus animus, quae, Capaneo mortuo, se superfuturam negat et magnificis vestibus induta in rogum viri insiliens « pulcherrima, inquit, mors si quis cum suis moriatur ». *Suppl.* 1006. Incertae fabulae *fragm.* 901 de uxoris obsequio est: « nullam forma, multas virtus apud viros iuvit. Est feminae sapientis cum viro coalescere et ex duobus animis unum efficere. Ac primum etiam si vir deformis sit, prudens uxor formosum putat; non enim oculorum sed animi iudicium est. Optime loqui putat et non recta loquentem eique grata dicere conatur. Suave est cum moerente uxorem una dolere, gaudio exsultante laetari. Hac laetitiae et aegritudinis communione sublata, quid est amor? » Illud quoque est *Andr.* 207, non forma sed virtute virorum animos devinciri.

(1) V. *Alcestin* passim ac praecip. *v.* 175, 278, 312, 1090.

Saepius eorum beata vita praedicatur, quibus bonae uxores contigerint; maximus enim thesaurus est *fr.* 547 qua domestica felicitas et calamitates continentur *Or.* 602. Uxori omnia cum viro communia sint *fr.* 820, qua concordia omnibus bonis cumulatur domus *Med.* 14. Beata femina, quae viro amante utatur *fr.* 1047; potest enim patrimonium profundentem continere ac domum servare *fr.* 1041. Aegrotum et fortuna afflictum solatur; iratum compescit, tristem exhilarat; eorum, quos diligimus, et fallaciae dulces sunt *fr.* 819. Nullum maius infortunium fingi potest quam virum amittere, quocum ipsa uxoris vita exstinguitur *Andr.* 372. Virorum animi longo intervallo a feminis distant. Amor Admeti erga Alcestin elucet ille quidem ex miserabilibus verbis vehementique dolore, quo pollicetur se vel mortuam dilecturum, sed nihilo minus patitur eam pro se interire. Pulcra et amoris plena Herculis quoque verba ad uxorem et liberos; quae vero facit postquam furore instinctus omnes iugulavit, quare et conscientia miserandae necis permovetur *H. F.* 1367. Gratuiti excelsique amoris exempla in feminis tantummodo reperiuntur.

Ceterum quae passim de connubiis monet plena prudentiae sunt; intelligit enim non posse de ea re universas leges constitui, nec omnes beatos nec omnes miseros esse *fr.* 1042. At nihil omittendum est ut concordiam serves ac litium occasiones devites; uxori obtemperandum censet vel quum vera non audias *fr.* 443. Quae indulgentia multo maioris consuetudinis indicium esse videtur quam quae inter coniuges intercedere solebat. Nolite, inquit, suspicionis caussas uxoribus praebere; pravus enim mos est pellices habendi, malorum ac litium originem *Andr.* 464, 909, ipsisque uxoribus exemplum turpitudinis; quae peccantes iniuria probris cumulantur, quum auctores flagitiorum integram existimationem servent *El.* 1036. Nolimus barbaros imitari, qui a nuptiis propinquorum nulla lege prohibentur. Duas habere uxores non est humanae et excultae gentis *Andr.* 173. Hic quum sensisse videatur nullam esse domesticam vitam nisi una uxor sit, credere non possum eum serio egisse *fr.* 665, ubi ait κοινὸ γὰρ εἶναι χρῆν γυναικεῖον λέχος, sed ad repentinam animi indignationem pertinere. His autem locis intelligitur saepius factum esse, ut Athenienses pluribus feminis domi uterentur, etsi ne fieri liceret legibus sancitum erat. Quod tum ad corruptam veterum disciplinam, tum eo referendum arbitror, quod quum nulla lege impedirentur, quo minus coniugia non legitima contraherent, et iis, quibus legitimae essent uxores, minus offensionis res haberet. Huc et illud pertinet, quod ait barbarum esse, ut connubia inter propinquos nulla lege tollerentur. Athenis nihil de connubiis contrahendis legibus sancitum erat, nisi ut inter parentes ac liberos ne fierent; a sororibus magis consuetudine quam lege abstinebant; inter propinquos permulta connubia. Quod si in ea morum laxitate Euripides suadet ne barbaros imitarentur, intelligitur multa evenisse aut legibus vetita aut opinione vulgi improbata.

Solebant Graeci puellas prima iuventute florentes in matrimonium collocare; quam quae peregissent haud facile nubebant (1). Viri quoque satis mature ma-

(1) Aristoph. *Lysistr.* 595.

trimonia inibant, ac Spartae non modo coelibes, verum etiam si quis connubium nimium distulisset legibus puniebatur (1). Plato et Aristotiles puellas inter annum XVI et XX in matrimonio collocandas censuere; optimam virorum aetatem ab anno XXX ad XXXV (2). Memorat enim Aristoteles infirma et inchoata fuisse corpora earum gentium, apud quas viri maturius uxores ducerent. Eo intervallo coniuges vulgo distabant; itaque Euripides cum opinione omnium consentit, ubi ab adolescentulis pari aetate coniungendis deterret, quod viri diutius iuventutis viribus floreant, feminae citius consenescant *fr.* 24. Ea re fieri solet ut viri ab uxoribus abalienentur, uxores autem neglectae alio animos convertant *fr.* 906. Nec tamen senibus puellae coniungendae sunt; senes enim graves ac molesti *fr.* 804, liberis gravantur atque aetate imbecilliores facti ab uxoribus reguntur *fr.* 801. Nec semel suadet ut coniuges pari loco sint. Improbi quoque sui similes quaerunt *fr.* 60. Male consulit beatae vitae qui uxorem genere ac divitiis superiorem ducat; ei enim parendum est nec prosunt divitiae connubiis partae *fr.* 504 *(3)*. Quid turpius viro quam libertatem suam uxori prodere ac se ipsum vendere dotis condicione? *fr.* 772. Haud recte femina imperitat domi; quod iis contingit, qui sese feminae ditiori coniunxerint, eoque ignominiae veniunt, ut liberi ex matre, non ex patre appellentur. *El.* 932. Optimum est igitur mediocres nuptias prudenter inire *fr.* 505, illud sequutus, quod proverbii locum obtinuerat *τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα* (4). Verum ut multa popularis sapientiae praecepta, id quoque obliviscebantur auri splendore capti; quod ni ita fuisset, Euripides modestiam in ea re identidem non suasisset. At copia quaedam rei familiaris et ipsi prosperis connubiis necessaria videbatur, quorum vincula laxarentur inopia; quam ob rem homines solent illi quidem generis nobilitatem admirari, sed divitum necessitudines quaerunt *fr.* 399.

Iam supra demonstratum est nobilitatem et in populari imperio non parvi habitam fuisse; nec mirum videtur complures liberorum caussa nobilem quamvis deformem feminam diviti ac plebeiae anteposuisse *fr.* 409. Ipse interdum ad nobiles nuptias hortatur, a quibus dii omnem calamitatem avertant *Andr.* 1279 (5). Haec vero ad reges ac principes videntur pertinere neque iis repugnare, quae alibi de paribus nuptiis reperiuntur. Est enim ubi ait beatam vitam nobilitati anteponendam *fr.* 9, inane esse nobilitatis nomen, quod omnium hominum una eademque origo sit *fr.* 53; cives peregrini, servi liberi, suis quisque laudibus confidat nec generi quidquam tribuat.

A coniugiis iterum ineundis Euripides deterret, quod noverca natura ipsa privignis inimica sit *fr.* 4, 821, 1025, 1329. Alcestis moriens Admetum precibus

(1) Plutarch. *Lyc.* 15; *Lys.* 13; *am. prol.* 2; *Lacon. apophth. p.* 223.

(2) Plat. *rep. V*, *p.* 460; *VI*, *p.* 785. Aristot. *rep.* 7, 16. Alio loco Plato ab anno XXV viris uxores ducendas ait *rep. VI*, *p.* 772.

(3) Quod saepius apud veteres occurrit. Plaut. *Aul.* 3, 5, 61 dotatae mactant et malo et damno viros. Iuvenal. *Sat.* 6, 460 intolerabilius nihil est quam femina dives; 6, 139 veniunt a dote sagittae.

(4) Plutarch. *puer. educ.* 19.

(5) Cfr. Xenoph. *Hier.* 1, 27.

fatigat, ne suis liberis novercam imponat, angue magis exitiosam, praesertim filiabus *Alc.* 305. Quid est cur, cui liberi sint, alios suscipere cupiat ac domi simultates serat? *fr.* 339. Haec Euripidis propria sunt, nam Athenienses vulgo non modo iterum sed pluries connubia inibant, neque apud Graecos ulla lex de repetitis nuptiis memoratur, nisi Charondae (1), qua, si cui liberi essent, eius alterae nuptiae improbabantur.

Inter eas tranquillae mentis prudentes sententias iurgia et-convicia identidem recurrunt, ac modo ait omnem feminam viro peiorem esse vel quum pessimus vir optimam uxorem duxerit *fr.* 550, modo genialem lectum molestum vocat et malorum fontem *Med.* 1291, modo capitis periculo se committere qui uxorem ducat *fr.* 467; verum haec ad fabulas ac personas non ad poetam referenda censeo. Non pauca sane pessimi exempli tum accidebant et recte Euripides: « si quam, inquit, videris procul a viro formam ostentantem, mala est, mihi crede *El.* 1072. Nec diu manent amor ac fides; vulgo putant feminas vel optimas post unum diem a novis nuptiis minus abhorrere *Troad.* 661. Exsecranda est quae prima coniugii fidem fefellit! cuius rei turpia exempla principes domus prodiderunt; nunc turpia facinora honesta specie involvuntur *Hipp.* 406 (2). Aeque miserum est viro patriae, uxoris, liberorum, patrimonii spe frustrari; domus enim pondus fit non ferendum *fr.* 547. At quam multi sunt qui aut liberorum aut propinquorum caussa in uxorum vitiis conniveant! quam ob rem neglecta mala in immensum propagantur, virtus perit *fr.* 499. Nec bonis utimur legibus; id enim sanciendum esset, ut quam plurimas uxores ducere liceret, quarum optima retineretur, malae reiicerentur. Unius eiusque ignotae uxoris maxima pericula *fr.* 406.

Restat ut quid Euripides de matribus senserit paucis attingamus. Constat tum temporis rationem quandam naturae vulgatam fuisse, quae ad matrum dignitatem augendam minime pertineret. Eam Aeschylus non dubitavit coram populo exponere *Eum.* 658, ubi Apollo Orestem defendens a Furiis, materni sanguinis poenas petentibus, haec verba facit:

οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένου τέκνου
τοκεὺς, τροφὸς δὲ κύματος νεοσπόρου.
τίκτει δ' ὁ θρώσκων. ἡ δ'ἅπερ ξένῳ ξένη
ἔσωσεν ἔρνος οἷσι μὴ βλάψῃ θεός,

quod ipsa Minerva comprobatum memorat, uno Iove nata. Est apud Diodorum eadem in Aegypto pervulgata fuisse, ubi omnes liberi ex qualibet femina suscepti legitimi habebantur. Incertum est an Graeci ab Aegyptiis in eam opinionem adducti sint, cuius Aristoteles Anaxagoram auctorem facit. Euripides iisdem fere verbis quibus Aeschylus utitur *Or.* 551; cfr. 1048. Quod utrum intra doctrinae fines manserit an latius patuerit ignoramus: at certe nihil earum legum immu-

(1) Stob. *Serm.* 44, 40
(2) Cfr. Senec. *Agam.* 79 iura pudorque et coniugii sacrata fides fugiunt aulas.

tatum est, quibus liberi nisi utroque parente cive nati, impares habebantur. Praeterea, qui tum mores erant, sorores ex patre in matrimonium ducere licebat, non tamen sorores ex matre. Multum quidem pater et mater in patria potestate differebant, quum mulieres nunquam sui iuris essent. Verum ad officia ac pietatem liberorum nulla varietas, ac paribus poenis afficiebantur qui patrem, et qui matrem indigne habuissent, vel senes non aluissent, vel inferias omisissent. Quibus rebus non modo parentibus iure agere, sed etiam civium cuique magistratus petentes accusare, ab honoribus et iure publice loquendi prohibere licebat. Parentes non modo pater et mater sed et avus et avia habebantur ac si quis maiorum esset superstes. Non paucos officia filiorum contemsisse testatur Dionysius Halicarnassensis, eam referens neglegentiam ad mites Atheniensium leges. At matrum iura integra permanserunt neque ea, quam memoravimus, philosophorum doctrina unquam imminuta sunt. Id quoque animadvertendum censeo, et Aeschylum et Euripidem in Oreste defendendo ea ratione usos esse. Sed aliis locis ait Euripides nil esse matre dulcius eiusque amorem suadet, quo nullus suavior fingi possit *fr.* 360. Persona quaedam ommes feminas perosa matrem excipit *fr.* 500. Caussas materni amoris repetit ex ipsa natura, mores, credo, aetatis suae leviter carpens *fr.* 1004:

ἀεὶ δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός,
ἡ μὲν γὰρ αὑτῆς οἶδεν ὄνθ' ὁ δ' οἴεται.

Quibus rebus conficitur Euripidem perfectam quandam mulierum speciem mente complexum esse, qualem haud scio an quisquam veterum finxerit; eundem vero muliebrem sexum despicatui habuisse, quod ab ea specie longo intervallo distaret.

De paterno amore ea scripsit, quibus optimus pater fuisse videatur. Omnium suavissimus locus est *fr.* 318:

γύναι, φίλον μὲν φέγγος ἡλίου τόδε,
καλὸν δὲ πόντου χεῦμα ἰδεῖν εὐήνεμον,
γῆ τ' ἠρινὸν θάλλουσα πλούσιόν θ' ὕδωρ,
πολλῶν τ' ἔπαινον ἔστι μοι λέξαι καλόν,
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω λαμπρὸν οὐδ' ἰδεῖν καλὸν
ὡς τοῖς ἄπαισι καὶ πόθῳ δεδηγμένοις
παίδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος.

Summa felicitas eorum est, quibus liberorum iuventus domi splendeat ac stirps propagetur. Etenim rebus adversis solatium, secundis gaudium, patriae praesidium sunt liberi, divitiis regiaeque potestati anteponendi. Miseram sine liberis aetatem appellat, eosque contemnendos, qui ea delectentur: optimam esse mediocrem vitam prole exornatam *Ion.* 472. Aliae aliis gentibus leges sunt, sed liberorum amore dii, homines, animantia tenentur *fr.* 334, 104, *Phoen.* 965; itaque homines

condicionibus dissimiles pariter stirpem diligunt *H. F.* 634. Mulieres partus acerbitatem contemnentes liberos sibi cupiunt *Phoen.* 355. Hominibus enim tanquam vita ipsa sunt liberi; qui voluptatem prolis non expertus contemnat mala felicitate beatus est *Andr.* 418. Ii soli verique patris amici *fr.* 333; etenim propinqui saepe rei familiaris caussa inter se dissentiunt, neque iis fidendum est *fr.* 570. Eorum sors invidenda, qui sua prole felices sint *Or.* 542. Interdum liberorum infortuniis commotus in eas voces effunditur, quae a superioribus sententiis abhorrere videantur; v. g. Musa, Rheso filio amisso, ait aetatem liberis carentem praestare quam genitos humare *Rhes.* 980; at *fr.* 575: nescio, inquit, utrum liberos habere praestet an non; miseros video qui careant nec minus quibus sint; mali enim dolorem, boni sollicitudinem praebent. — Equidem censeo non in eius modi dolentium vocibus poetae sententiam esse quaerendam.

Liberi leniter tractandi sunt *fr.* 944; qui sese acerbos erga liberos praestant molestam sibi senectutem parant *fr.* 946. At liberi patri pareant debitumque honorem tribuant *fr.* 111, 236, 943. Tribus legibus obsequendum est; colendi sunt dii, parentes et communes Graecorum leges *fr.* 219. Carus est diis qui parentes veneretur et pietatis fructum a suis liberis colliget; procul a me qui eos contemnit et recusat eorum curis gratias referre *fr.* 848, 361 (1).

Plurimi exstant loci, quibus necessaria quaedam similitudo liberorum cum parentibus praedicatur. Boni a bonis, mali a malis creantur *fr.* 76, 166, 344; optimi ab iis, qui operosam aetatem agunt *fr.* 529. Maxima liberorum gloria parentum virtutes imitari *Hel.* 941; malum semen nulla institutione emendatur *fr.* 1053. Qua in re nobilitati generis multa censet tribuenda; tum propter naturae humanitatem tum propter excelsam institutionem. Quamvis urgente inopia, ortus amplitudo aliquid honoris habet *fr.* 739, calamitatibus resistit nec praesidiis nec bona caret spe *Her.* 297, *fr.* 233; obscuri hominis indoles atque inscitia nullis tenebris nec latebris obtegitur *fr.* 620. Quae nobilitatis laudes ut intelligantur in homine popularis et aequabilis rei publicae defensore ea animadvertenda sunt, quae de antiquis Atheniensium stirpibus supra demonstratum est, ac praeterea cogitandum ea maximam partem ad reges et principes esse referenda. Neque eum fugerat parum valere genus ad virtutem; queritur enim nullum esse indicium ad ingenia hominum dignoscenda; nobilium liberos pravos, humiliorum bonos videri. Qui igitur iudicandi sint? ubi genus deficiat, divitiae, inopia, fortitudo incerta sunt *El.* 367 et quum stirpes in peius mutari videret ait vix unum reperiri, qui parente deterior non sit *El.* 327.

Propter eam legem naturae, qua liberi parentum similes gignuntur, viri admonendi sunt, ne uxores temere deligant; alter enim coniugum satis est ad stirpem corrumpendam *fr.* 524. Ac primum filia honestae matris quaerenda est;

(1) Indigna et iis praeceptis repugnans est Admeti cum parentibus altercatio, quod ii sese pro filio mori recusassent *Alc.* 629. Admetus dolore uxoris amittendae graviter commotus in eos invehitur et contumeliis onerat; in quo poeta modum excessit.

filiae materna dedecora domo efferunt *Andr.* 620. Nec malis matribus fortes creantur liberi *fr.* 300; ipsae bonae feminae filiorum virtutem lacrimis frangunt eorumque vitam decori et gloriae anteponentes ad ignaviam hortantur *fr.* 362. Praeterea nolint homines senectutem exspectare ad liberos procreandos; etenim calamitates sibi comparabunt. Contra iucundum est viro aetate florenti adultos regere liberos *fr.* 319.

De incertis liberis Euripides, leges sui temporis contemnens, saepenumero affirmat probrum nomine contineri, natura omnes esse pares *fr.* 168, 378, atque adeo esse qui multo legitimis praestent *Andr.* 638. At quum inferior eorum condicio lege esset sancta, miser Hippolytus a patre pulsus: « utinam, inquit, nemo amicorum meorum eo probro infectus sit » *Hipp.* 1083.

